B f
6

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

63339/B

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

TILLING, J.C.

E E
l 23
~~28~~
S
q.105
H
a 19

63339/B

T8

IO. CHRISTIAN. TILLINGII

MEDICINAE DOCTORIS

OBSERVATIONES MEDICAE SINGVLARES CIRCA VERVM VSVM THERMARVM CAROLINARVM IN DIVERSIS MORBIS INSTITVTAE.



LIPSIAE

IMPENSIS GLEDITSCHIANIS.

1751.

VIRO
Illuſtri, Excellentiſſimo atque Experientiſſimo
DAN. WILH. TRILLERO
S. P. D.

Iohannes Chriſtianus Tillingius.

Plura ſunt, Vir illuſtris, argumenta, quae me mouent, vt has qualeſcunque obſeruationes, circa vſum thermarum a Carolo dictarum inſtitutas, potiſſimum Tibi conſecrandas eſſe cenſeam. Tuo enim ſuaſu, vel potius iuſſu, hoc quicquid eſt periculi feci; quo autem mihi ipſe non ſatisfeci. Vidiſti tamen, et comprobaſti, et quae cum erudito orbe communicarentur, iudicaſti. Maioris momenti res eſt, quam quidem vulgus medicorum autumat, medicas condere obſeruationes: quippe non mediocris adhibenda eſt in diagnoſi morborum, eorumque remediis rite ſeligendis ἀκρίβεια. Duo nempe ſunt fulcra, quibus nititur vera ars ſalutaris, quae ſanitatem dare valet, ratio ſcilicet et vſus, optimus omnium et exquiſitiſſimus magiſter. Hominem ſanum aeque ac morbo adfectum noſcamus in omni ſanatione, quaecunque demum ſit

 facienda,

facienda, ante omnia neceſſe eſt, et tum denique ad medendi modum nos accingamus. Hic vt rationalis ſit, requiritur et ſimpliciſſimus potius, quam phaleratis dictis et remediis fucatus ideoque dubius ſemper futurus. Inter omnes conſtat, verum hunc eſſe ordinem et vnicum ad comparandam illam medicinae certitudinem, quam plures deſiderant, immo in dubium vocant multi. Sed medici interdum ipſi ad morem aegrorum et imprudentium empiricorum inuertunt hanc artis ſeriem, et omnem adhibent diligentiam in inueniendis et adplicandis remediis, arcanis, artificioſiſſimis, et inextricabili modo compoſitis, neglecta adtenta morbi contemplatione. Haec vero ipſa per ſe ſatis difficilis, et non niſi adſidua adcurataque conſideratione ſtatus hominis naturalis primo, et illius ab hoc diſceſſus, adquirenda incredibilem medici poſtulat prouidentiam. Quae quidem minorem habere videtur difficultatem in morbis ſic dictis acutis, in quibus quippe medicus exſpectando, regimen aptum adhibendo, et ea, quae ſalutarem aegritudinis progreſſum impedire poſſunt, remouendo officium ſuum praeſtat. In morbis vero longis, qui vel ex praecedentibus male ſanatis, vel ex peruerſa medela, et quod valde dolendum, medicina peſſime et cumulatim adplicata, tandemque ex regimine minus recto, diaetaque peruerſa multiplicique oriuntur, opus habet multum laboris et difficultatis. Tales enim morbi varias habent mutationes et diſſimiles ſaepius facies, vt vel perſpicaciſſimus medicus eos vix dignoſcere valeat. Ad-

haec

haec fere hi omnes comitem habent vitiatum digeſtionis et nutritionis negotium, vt inde dependentia ſymptomata ſaepius cum illis ſignis, quae morbum primarium indicant, confundantur. Morbi enim narratio fit vel per aegrum ipſum, vel per medicum, qui vterque non raro ex inſcitia, illa potiſſimum docet, quae maxume elucent, et incommodum creant, vel quoque ex aſtutia, ea velant, quae tamen primaria erant veri morbi indicia. Ne dicam tandem de iis, quae animi paſſiones in aegroto habent vim, et quibus tenebris inuoluta ſit morbi explanatio, ſi medentis ingenium in cauſſas non naturales et per corpus minus poſſibiles penetrare non valeat. Plures harum certe ſunt, quae latent, inprimis noſtro aeuo, quo libido, eſca malorum, innumera excogitauit, quae firmiſſimam ſanitatem deſtruere poſſunt, et neceſſitas vrget ſumma, mosque ſuadet, intelligentiam ita exercere et intendere, vt vix corporis vis ſufficiat, ea reſarcire, quae amiſſa ſunt. In hoc licet rerum ſtatu quotidiana tamen docet experientia, verum eſſe, quod ſupra dixi, plurimos, et medentes non raro ipſos, in ſanando morbo minus ſollicitos eſſe de vera aegritudinis cognitione et diaeta, quae ſaepiſſime primum tenet in ſanatione locum, facillimos vero in ſuadendis remediis, incertis ſaepius, nullius efficaciae, vel ita compoſitis, vt vel acutiſſimus verum inde effectum non hariolari poſſit. Nemo certe eſt, qui hanc rem frequentius obuiam habet, quam quidem medicus, tractans illos aegros, qui ſaepius ad fontes ſalutares tanquam ad ſacram anchoram

confugiunt. Hic enim morbos ita abſtruſos et per varios caſus totque diſcrimina rerum mutatos, depellere debet, quorum naturam coniicere nonniſi acerrimus et diligens rerum inueſtigator valet. Adſidua ergo et ardua ſatis obſeruatio aegrotationum, quae per aquas medicatas ſanabiles ſunt, vel earum vim eludunt, primum eſt, quod ad aliquale veritatis veſtigium medicinam hancce euehere poteſt. Sed plus negotii haec ipſa res faceſſit, quam quidem illi ſibi perſuaſum habent, qui in determinandis denominandisque morbis aeque faciles ſunt, ac creduli in virtute eorum auxiliorum medicata, quae empirice et nulla habita ratione eorum, quae indicationem faciunt, adplicant. Licet igitur per duodecim iam annos multa obſeruauerim circa aegros, qui in variis morbis modo ſalutari, modo contrario effectu adhibuerat thermas noſtras; et multa explorauerim, quae rationalem medendi methodum minus ſapiunt, ſemper tamen paullo diffidentior forte fui meis ipſis obſeruationibus, vt inde normam medendi certam et indubitatam conſtituere auderem. Dabam Lipſiae die VI Aprilis CIƆ IƆ CCLI.

In-

Index Obſeruationum.

I. Excretio calculi 1

II. Sequelae febris intermittentis in monacho male ſanatae 5

III. Febris intermittens 7

IV. Vermes longi et lati 10

V. Morbus attonitus 13

VI. Vteri haemorrhagia 14

VII. Maculae hepaticae 15

VIII. Lateris dolor ex balneo praeferuido 16

IX. Carcinoma 17

X. Hepatis vitium 20

XI. Auditus difficultas 21

XII. Malum hypochondriacum et melancholia 22

XIII. Malum hypochondriacum cum materia ſeu morbus ex cruditatibus 28

XIV. Phimoſis habitualis 29

XV. Polypus cordis 30

XVI. Coli dolor 31

XVII. Vrinae incontinentia 33

XVIII. Aſthma 35

XIX

XIX. Lienis tumor 38

XX. Menſes albicantes ſeu pallidi 39

XXI. Menſtruorum retentio 40

XXII. Menſtruorum fluor 40

XXIII. Morbus articularis 41

XXIV. Malum iſchiadicum 43

XXV. Podagra 44

XXVI. Laeuitas inteſtinorum 46

XXVII. Aluus ſuppreſſa 47

XXVIII. Tabes, hectica et phthiſis pulmonalis 49

XXIX. Lichenes 56

XXX. Vrinae retentio 56

XXXI. Lues venerea 58

XXXII. Gonorrhoea 59

XXXIII. Cardialgia 61

XXXIV. Oculorum vitia 62

XXXV. Abſceſſus 69

XXXVI. Cibi faſtidium 70

XXXVII. Paſſio hyſterica falſo ſic dicta 70

Obſer-

Obſeruatio I.
Excretio calculi ſub vſu Thermarum Carolinarum.

Vndecim abhinc annis accedebat ad Carolinas thermas mercator honeſtiſſimus et diues, calculo veſicae multum et diu vexatus. Hauſtis per aliquot dies thermis per vrethram membranulae, grumi ſanguinei et arenulae rubrae excernuntur, quartoque die tandem ſequitur calculus, phaſeoli maioris magnitudinem aequans, ex vna parte laeuigatus, quod indicium alias eſt certum, plures adhuc adeſſe. Interim aeger laetus de ingrato hoſte expulſo, continuabat thermarum potum, absque vlla moleſtia, ſabuli, vel alius corporis peregrini per veſicam excretione. Medicus ordinarius FRIDERICVS HAENEL, Praeceptor olim fideliſſimus, rerum, quae ad Carolinas ſpectant, optime, et ſi quis alius gnarus, et longo vſu doctus, ex ſymptomatibus et inprimis mictu

cruento, calculum adeſſe, et exitum moliri, praedicebat, addens, pluries ſe idem indubitatum obſeruaſſe indicium. Docuit vero me deinde experientia in aliis, qui periculoſa admodum, per vias vrinarias, haemorrhagia laborarunt, immunes ab eodem malo fuiſſe, eaſdem thermas haurientes *.

Femina annorum quadraginta, vinoſae diaetae nimium indulgens, ex qua ſemper praeter naturam aeſtuabat corpus, frequentius iisdem thermis vſa, ſentit potiſſimum ex concuſſionibus in itinere, mox ſub principio thermarum hauſtarum dolores in lumbis et tormina, quae augeri videbantur cereuiſia Lebeguinenſi. Calculum ergo et nephritidem morbum eſſe indicaui: et quarto die hoſtis eiiciebatur per vrethram, nulla prorſus remanente calculoſa adfectione.

Generoſa femina craſſum habens et laxum, multaque pituita repletum corpus, aliquoties Carolinis thermis vſa fuerat, et grauia calculum comitantia mala', inprimis ſingultum, cuius

* Haemorrhagias quaſcunque ex hauſtis thermis non ſolum neque excitari, neque augeri, experientia ſatis conſtat, licet ſtimulus ſalinus, calor ipſe et diluens vis primo intuitu contrarium effectum indicare videantur; ſed quoque easdem prorſus cohiberi, naturales licet, accedente inprimis regimine calido, et immoderatas recte determinare, me quoque frequens docuit optima rerum magiſtra, experientia. Si ergo inter hauriendas thermas accidat fluor ſanguineus per vias vrinarias, certe indicium eſt, moveri calculum in renibus, et vel dilacerare fibras, vel incumbens eius vaſis dilatatis locum mutare et ita apertos reddere canales.

cuius vehementia exprimi verbis vix poterat, patiebatur. Haec hauriendo thermas, magnam ſabuli calculoſi excernebat copiam, multisque liberabatur acerbis malis et cachexia, iam iam tranſeunte in hydropem perfectum.

Vir Vindobonenſis mane haurit illas tepidas thermas, quae ad molendinum ſcatere ſolent, et poſt meridiem iisdem inſidens, calculos duros aeque ac molles ex veſica vrinaria ſatis magnos excernit.

Vir robuſtus, annorum ſexaginta, hauriendo easdem thermas, magnam calculorum minimorum et ſaburrae calculoſae reddebat copiam, adeo, vt deinde a calculoſis adfectionibus liber maneret. Redibat quoque anno inſequente, et ſentiebat, vtens thermis, primis diebus, acerbam vrinae excretionem, quae tamen continuato vſu ceſſabat.

Monachus habitus athletici vtitur iisdem thermis, quibus adhibitis, haeret per tres dies calculus in vrethra, qui deinde applicatione emollientium et thermarum potatione conſtanti, feliciter excernitur phaſeoli magnitudine, ſic, vt aeger etiam nunc laetetur, et a calculoſo morbo multos nunc annos immunis viuat, priſtinae valetudini reſtitutus.

Vir generoſus quidam, ſanguinis abundantia omnem fidem excedente laborans, experiebatur in ipſo hauſtu Carolinarum copioſiſſimam vrinae excretionem, et liberabatur calculo, cuius nunquam ſenſerat indicium, et

ab eo tempore quoque nulla vexabatur calculoſa adfectione. Quum anno proxime inſequente vſum thermarum repeteret, vrina demittebat ſedimentum nigricans et admodum pituitoſum, adeo acre, vt vaſi ſtanneo maculas nigras inureret.

Alio loco egi de eo, quod in detrimentum thermarum, circa calculoſum in viis vrinariis morbum notant auctores. Magnus ille medicus, GEORGIVS ERNESTVS STAHLIVS, aquarum medicatarum nunquam patronus, vſum thermarum et acidularum in calculoſo morbo nociuum tradidit in notis ad HARVAEVM *pag. 75*; SCHAARSCHMIDT *in nouis medicis et chirurgicis Berolinenſibus Tom. II pag. 148* acriter taxat vſum thermarum in calculo. Mitiorem vero ſententiam fouet BERGERVS *in commentatione de thermis Carolinis pag. 124.* Illuſtris olim BOERHAVEN aegre ſuadens fontium ſalubrium potationem, calculoſos tamen per anni dimidium, aquis Spadanis vti iuſſit. Praeſertim vero vſum thermarum Carolinarum hic egregium plane, multis rationibus et exemplis demonſtrauit celeberrimus quondam SCHACHERVS *in diſſertatione ſingulari de thermarum Carolinarum vſu in renum et veſicae calculo, Lipſiae 1711.* FRID. HOFFMANNVS quidem *medic. conſultator. Tom. I. pag. 354* commendat Carolinas in veſicae calculo. Sed quum res iamiam conclamata videatur, in aegro ſenectute confecto, et ſuſpicio quoque calculi ad veſicam adcreti adſit, animaduerto, thermarum hauſtum tantum in eo profuiſſe, vt ſabulum et concrementum, quod calculi molem augere ſolet, excerneretur.

Con-

Concedo quoque, ſi renes ex calculi irritatione ſuppurati ſint, omnino dubii eſſe euentus thermarum potationem, licet experientia conſtet, vlcera interna quoque prouido earundem vſu, vel caſu ſanata fuiſſe; cuius rei exemplum ipſe vidi in gonorrhaico. Alias non valet de Carolinis, quod recte reprehendunt auctores, circa vſum diureticorum in nephritide. Nam ſtimulus non dependet a ſalino principio ſolo, ſed a copia aquae, quae eluit, laxat, abſtergit, et a terreſtri materia, quae leuiter adſtringit et conſolidat. Medici ergo officium eſt, ita vſum thermarum moderari, ne aeſtus augeatur, vel materia purulenta ad maſſam ſanguineam regrediatur.

Obſeruatio II.

Sequelae febris intermittentis in monacho male ſanatae.

Menſe Iulio 1730 vtebatur Carolinis monachus, ordinis Praemonſtratenſium, Pragenſis, annos triginta ſex natus, in quo vigor vultum non deſtituebat. Laborauerat olim, quum officio concionatoris caſtrenſis fungeretur, febri intermittente, ad quam depellendam ſumſerat tres pilulas, quibus arſenicum admixtum erat. Leuabatur quidem inde morbo febrili, ſed paullo poſt dolore in hypochondrio dextro, ad cordis ſcrobiculum vſque percurrente, praecordiorum anxietatibus,

reſpiratione difficili, extremitatum laſſitudine, aeſtu vago, et plurimis malis aliis adfligebatur. Haec omnia quidem interdum leuiora erant, ſemper tamen acerbiora et vehementiora reuertebantur, inque ipſo thermarum hauſtu, accedente pedum tumore feroſo, ingraueſcebant; qui ſiniſter tamen effectus non thermis, ſed potius peruerſae medendi rationi, adſcribendus erat*. Ex hoc, et multis aliis, didici, morem exhibendi arſenicum, in febribus intermittentibus, ſatis conſuetum eſſe inter exercitus: ſiquidem et puluis arſenicalis, inter arcana in Bohemia, ad ſanandas easdem febres crebrius exhibetur, etiam infantibus, cuius experimenta aliquoties vidi. Exhibent nempe arſenici cum aceto triti et exſiccati grana tria, quibus mixta ſalis communis tripla doſis, et inde fiunt motus in primis viis vehementiſſimi, paullo poſt ſuccedunt vomitus et ſedes. Alius quoque eſt puluis granorum octo, coloris rubicundi, cui intermixtae arenulae albicantes, quem deglutiunt aegri, variis febribus intermittentibus vexati, duabus ante paroxyſmum horis, indeque vehementes vomitus et aluinae excretiones, vltimusque ſed grauiſſimus febris acceſſus, ſequuntur. Qui facili negotio vomunt, facilius ferunt medicamentum.

* Quum nullum ſit dubium, in hoc aegro non ſolum incipientes fuiſſe viſcerum obſtructiones, ſed quoque morbum ex repletione et cachexiam, modus exhibendi thermas certe non more ſolito, ſed morbo ſatis aptus neceſſarius fuiſſet, quo nempe non ſolum caute reſoluendum et iuſto tempore euacuandum, ſed quoque externo prouido thermarum vſu ſolida roboranda veniunt.

tum. Scio matrem quandam improuide omnem puluerem, quem adulto et robuſto deſtinant, infanti febricitanti ſex annorum dediſſe, et tamen euaſiſſe paruulum aegrotantem, exemplo ſane nulli prudentiori in poſterum facile imitabili.

Obſeruatio III.
Febris intermittens.

Illuſtriſſimus comes, conſummatae eruditionis vir, accedit ad Carolinas thermas, febre intermittente delaſſatus, debilisque admodum conſtitutionis, humoribus bonis priuatus. Conuocari iubet tres medicos, quorum duo ſeniores venae ſectionem Carolinarumque hauſtum ſuadent: tertius vero, licet iunior, in contrariam abit ſententiam, addens, aegrum admodum eſſe debilitatum, humoribusque, qui ſano conueniunt, deſtitutum, ideoque nocere euacuantia, quae febrem inſimul reuocent, eupepta potius et replentia eſſe neceſſaria. Interim vena ſecatur, et poſt aliquot horas accedit paroxyſmus febrilis *.

* Nocere euacuantia et reſoluentia iis, qui ſanguinem habent minus nutrientem et nimis reſolutum, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Quum tamen quoque non negandum, in his aegris eſſe ſemper vitiatam digeſtionem, et morbum ex cruditatibus in primis viis, nullamque virium reſtaurationem ſperandam, niſi remota hac cauſſa, his tamen quoque non prorſus interdicendus videtur moderatus thermarum vſus, accedentibus inprimis, quae roborant, nutriunt et reficiunt.

Vxor ciuis honeſti, in thermis Carolinis, aetate iam confecta, febre conflictatur intermittente, duplicata, quae ſemper hora matutina tertia et ſexta veſpertina recurrit, et tandem remediis variis et ineptis ſanata, vel potius cohibita, continuos vomitus, ſummam virium deiectionem, eamque extremarum partium exſiccationem rigiditatemque, vt neque manus neque pedes flectere poſſet aegra, poſt ſe relinquit. Opem quaerit ex herbis ſic dictis neruinis, alias in paralyſi fructuoſis, et oſſibus iuniorum animalium eorundemque inteſtinis. Sed fruſtra. Medicus tandem in auxilium vocatus, morbum non paralyſin, ſed verius exſiccationem et partium rigiditatem, ex nutritionis et humoris naturalis defectu, digeſtionemque prorſus vitiatam eſſe cenſet. Huic igitur ante omnia mederi ſtudens, quum ob continuam nauſeam, et vomendi conatus, pharmacorum retentio vix ſperanda eſſet, ſuadet per decem dies ſerum lactis, deinde hauſtum Carolinarum adhibendum. Hae per primas ſic dictas curas, continuos vomitus pituitoſos excitant, et his tandem remittentibus, manus et pedes dolore adficiuntur. Redit tamen motus facilitas, et repetito vſu earundem thermarum adpetentia cibi et viuacitas. Morbus hac ratione feliciter ſanatur, aegraque ab eo tempore optime valebat.

Honeſtiſſimus mercator febre intermittente decubuerat, quae tamen per octo hebdomadas prorſus ceſſauerat. Ea de cauſſa medicus non dubitabat, hauſtum Carolinarum ei ſuadere. Antecedente ergo venae ſectione,

et

et febre licet reuertente, ad eandem compeſcendam tutoque ſanandam vſum thermarum per quatuordecim dies continuandum e re eſſe iudicabat; quod conſilium ſucceſſu quoque non carebat. Quodſi enim corpus materia febrili eſt repletum, nullum dubium erit, ſalutarem fore Carolinarum vſum. Quodſi vero motus humorum tantum minus regulares, in conſuetudinem quaſi ducti, fibraeque nondum robur ſuum priſtinum ſatis adeptae ſint, non mirum, ſi febris redeat. Interim, quum experientia conſtet, Carolinarum hauſtum non reddere pulſum arteriae auctiorem et celeriorem, niſi accedat calor, inprimis externus, easdemque cibi auiditatem excitare, omniaque, quae digeſtionem et nutritionem impediunt, remouere, cruditatesque, ſi adſint, vel remaneant, euacuare: patet hinc, non interdicendum eſſe thermarum potum his, qui febre intermittente laborarunt, vel in praeſenti iactantur. Pluries huius rei feci experientiam, et febris ſenſim tuto et conſtanter ſanata fuit, etiam duobus abhinc annis, quum febres intermittentes in Bohemia et alibi, ſi quo alio tempore, frequentiſſime graſſarentur. Interdum etiam ſub ipſa thermarum potatione obueniunt febres algidae, ex peruerſo in cibo et potu adpetitu, in quo caſu perutile expertus fui vomitorium, mox datum, et deinde continuatum thermarum vſum.

Nobilis quaedam femina per ſeptem dies Carolinis vtitur aquis, et pancratice viuit. Octauo die auidius veſcitur halece aceto praeparata. Corripitur febri tertiana, quater deciesque

ciesque recurrente, et ab vſu thermarum inconſulto deſiſtit *.

Obſeruatio IV.
Vermes longi et lati.

Femina nuper viro iuncta, ſterilis, habitus corporis paullo laxioris, laborabat fluxu albo, benigno, chronico, adpetitu deprauato, vitiata digeſtione, et alui obſtipatione, eademque ob mala hauriebat per dies quatuordecim Carolinas, interpoſitis laxantibus et pilulis balſamicis, quibus rite expurgabatur. Domum reuerſa, elapſis binis hebdomadibus, ſumebat, meo iuſſu, ſalis amari Bohemici vnciam vnam, vnde non ſolum tricies aluus ſubducebatur, ſed lumbrici quoque per eandem viam deturbabantur. Manebat vero ſenſatio mordax vehementiſſima, quae argumento erat, vel vermes vel multum acrimoniae adhuc ſupereſſe. Non obſtante hac modum excedente purgatione, cibi cupiditas redibat, aluus fiebat laxior,

* Solent inconſulto ad ſanandam hanc adfectionem maxime adhibere ſtomachica calida, quae ingeſta magis indurant, humores adfluentes incraſſant, et ventriculi ex calore infirmitatem augent. Neque haec enim, neque incidentia et reſoluentia, minus purgantia ipſa hic rem abſoluunt, quae nempe ſaepius morbum ſatis leuem, grauiorem, immo funeſtum reddunt: cuius rei triſtia ſatis vidi exempla. Qui vero medicus ſecundum ductum naturae agit, quae nempe nauſeam et ſaepius vomitum ſpontaneum mouet, ille optime ſanat.

xior, et aegra ex incommoda valetudine emergebat. Ergo nidum deſtruxerunt thermae, ſal euacuauerat vermes.

Feminam quandam melancholicam triſtitia, metus atque vigiliae longo tempore adflixerant. Accedebat humanae conſuetudinis odium, dolor vagus, pungens ſub hypochondrio ſiniſtro, pectoris compreſſio, motus ſpaſtici et maculae hepaticae, quae ſaepius colorem pallidum mutabant in flauum, paullulum vergentem in colorem album, nauſea continua, mane inprimis, ieiuno ventriculo. Aegra antea bono cum effectu vſa fuerat, ex conſilio docti medici, medicina vermibus infeſta, quae aluum ſimul mouens, inter hauſtum Carolinarum vermis lati partem ſatis magnam euacuabat. Idem deinde ſub continuato thermarum potu, interpoſita medicina euacuante, cui anthelmintica admixta erant, bis accidebat, adeo, vt fruſtula ſenſim eiecta, quatuor vlnarum longitudinem aequarent.

Textor, annorum triginta duorum, morbo laborans ex glutinoſo nimio, quum aluum bis cieret ſub vſu Carolinarum, purgante medicina adhibita, ex ialappae puluere et trochiſcis alhandal, multum non ſolum euacuabat pituitae, ſed lumbricos quoque, ſumtis licet fruſtra antea anthelminticis.

Femina terrore perterrefacta grauiori, capitis dolore, laſſitudine ſpontanea et vitiata digeſtione adfligebatur. Laxans ſalinum et thermae per ſeptem dies potae aluum largiter licet cierent, tamen nauſea et capitis dolorifica

ca adfectio remanebat. Hinc multum tenacis pituitae ventriculo ineſſe coniectans, exhibui pilulas purgantes fortiores, et iuſſi thermarum potum continuare. Hoc conſilio aluus copioſe et absque vllo incommodo fluebat, nauſea et cephalalgia remittebant, adeo, vt aegra perquam optime valeret. Pilulae ſub finem ſumtae aluum largiſſime vna cum lumbricis teretibus euacuabant.

Seruus annorum viginti, et quod excurrit, raucedine ex frigidiore potu diu adfectus hauriebat 1748 thermas ex fonte furioſo Carolinas, quae inprimis paullo refrigeratae, vomitum cotidianum et pituitoſum efficiebant. Anno proxime inſequente redibat, eadem raucedine vexatus, cum frequenti nauſea et non raro vomitu, ſiti matutino tempore, oris ſiccitate, et pituitae ſputo. Inter epulas ſaepe ex improuiſo nauſea, ructus, et leue quodammodo oriebatur animi deliquium, omni cibi appetentia eodem momento amiſſa, aciditateque fauces exaſperabantur. Interim nulli in abdomine torminoſi dolores, nullus narium pruritus, facies tamen ſemper pallida. Hauſtum thermarum vomitus ſequebantur frequentiores, et medicina aluum ſoluens, fruſtulum lumbrici lati duarum vlnarum longum euacuabat. Iuſſi ergo per octo dies thermarum potationem continuare, et medicamentum aluum ciens repetere, quod iterum partem eiusdem vermis, tres vlnas aequantem, expellebat. Aeger animalculum vixiſſe adfirmabat, id quod quidem non vidi, mortuum tamen adſeruandum curaui.

Ob-

Obſeruatio V.

Morbus attonitus.

Si in hoc morbo fontes ſalutares ſuadendi ſunt, omnino, qui maxime roborant et reſoluunt, ſunt eligendi. Ideoque Selterenſibus Carolinas, et his Egranas praeferendas eſſe cenſent auctores: nam non ſolum obſtructa reſeranda, ſi qua adſint, ſed tonus vaſorum in cerebro, quoque reſtituendus. Videtur quidem internus aquarum medicarum effectus in roborando non ſatis euidens, niſi terreſtris partis virtutem conſiderare velis, et rem eo modo explices, vt vaſa, remoto eo, quod extendit, naturali vi ſe contrahant. Sicque fieri poteſt, vt vltra modum ſolida tendantur, adeo, vt nullus elateris naturalis reditus ſit ſperandus, ſequitur, verum eſſe monitum, quod Illuſtris FRID. HOFFMANNVS in hoc caſu inculcauit. Interim ſaepiſſime obſeruatur, in apoplexia correptis, incredibilis cibi auiditas et ſumma humorum ſpiſſitudo, quae ex defectu motus, in dies incrementa capit. In hac re latet cauſſa et ratio medendi ſaepius difficillima et non raro *ἀδύνατος*. Potationem tamen Carolinarum thermarum hoc impedimentum feliciter tollere, aliquoties me experientia docuit.

Femina craſſi corporis corripitur apoplexia, quam loquendi impotentia et paralyſis ſequitur. Vſa 1744 thermis noſtris loquendi vim et facultatem ſcribendi ingrediendique recepit.

Femina

Femina annorum quinquaginta quatuor ſenſit prodromos apoplexiae et linguam inprimis paralyſi vitiatam. Venae ſectio et pediluvia quidem admodum morbum leuarunt, ſed thermae ita ſalutares euaſerunt, vt aegra vltra viginti annos deinde valetudine integra fuerit vſa.

Monachus, ordinis Ciſtercienſis, variis negotiis laceſſitus, apoplexia corripitur. Adit Carolinas extremitatibus prorſus flaccidis. Sanatur, ſi excipias relictam aliquam adhuc claudicationem: repetit thermarum potum multoties, vixitque deinde per viginti annos ab inſultu apoplectico liber.

Plures in medium producere poſſem ex ſanguine nimis glutinoſo et pituitoſo apoplecticos, in quibus Carolinarum vſus ſalubris et vtilis admodum fuit. Sed vnicum monendum reſtat, quod in his aegris, licet debilibus viſis, magna et ſufficiens euacuatio neceſſaria, et de externo vſu thermarum nobis ſemper caute circumſpiciendum ſit. Domi quoque cura omnis eo dirigenda erit, vt ventriculus ſemper bene ſeſe habeat, et motus corporis ſit frequens, ne noua humorum ſpiſſitudo morbum reuocet.

Obſeruatio VI.

Vteri haemorrhagia.

Puella quaedam nubilis, annorum octodecim, nondum erat menſtruata, tamen ſana. Mulierculae vero ſanguinis quaſi ſitientes, matrimo-

trimonium non concedebant, niſi fluxus menſium praecederet. Medici, viri optimi, quaeque ſuadendo operam perdiderunt. Ideoque empiricus in auxilium vocatur, qui et draſticum exhibet, quod corpus iuuenile et laxum ſuſtinet, et violenter efficit tandem, vt menſes erumpant. Euentu hoc nimio deſipiunt gaudio, et laudibus extollunt conſilii huius auctores. Prudentiores tamen hanc medendi rationem empiricam eſſe contendentes, adfirmant, fore, vt durante grauiditate menſes ſemper fluant, citra hanc iidem pro modulo corporis ſint nimis copioſi, ac tandem non niſi foetus debiles ac infirmi naſcantur: id quod triſtis deinde experientia vtique confirmauit. Vſus tamen Carolinarum ſalutaris fuit, ſiquidem ſanam deinde et validam enixa eſt filiam, etiamnum ſuperſtitem.

Obſeruatio VII.

Maculae hepaticae.

Vir corporis craſſi et pituitoſi ad depellendas maculas hepaticas omnia externa et interna fruſtra adhibebat medicamenta. Tandem ſumto purgante, per ſeptem dies hauſit Carolinas, iiſdemque inſedit. Quo facto, obſeruavit, maculas in ea corporis peripheria, quam thermae adtingebant, flauas fieri rubras, deinde pallidas, tandemque prorſus euanuiſſe.

Feminae optimae et iuueni, habitus corporis maxime laxi, quum prima vice grauida fieret,

fieret, in omni corporis peripheria, quam veſtimenta tegunt, proueniunt maculae hepaticae, quae manebant, vſque dum finito Carolinarum hauſtu, inſideret balneo ex iisdem thermis, quo facto prorſus diſparuerunt. Redibant deinde nullo medicamine delendae, niſi repetito vſu interno et externo potiſſimum earundem thermarum.

Femina quaedam melancholia hypochondriaca delaſſata, nimis calido regimine delectabatur, ſudoresque nocturnos copioſiſſimos experta, hauriebat primo thermas, deinde inſidebat balneo ex iisdem nimis feruido, et maculae hepaticae in omni corpore fiebant ignei coloris, ſitis erat feruida cibique cupiditas ſumma. Dedi laxans antiphlogiſton, disſuaſique regimen calidum, et maculae hepaticae indies fiebant pallidiores, in primis in ea corporis parte, quam in balneo fricuerat linteis thermis madidis, immo deinde prorſus euanidae reddebantur, ex balneo cotidie ſubinde magis refrigerato. Alias domi ex calore in lecto, et poſt cibum magis adparebant.

Obſeruatio VIII.

Lateris dolor ex balneo praeferuido.

In pleuritide, vel alia ſanguiferorum vaſorum obſtructione adplicantur plerumque epithemata nimis calida, quae tamen magis indurant materiam obſtruentem et vaſa contrahant. Inviſi

viſi feminam nobilem, quae finito thermarum hauſtu, more conſueto, inſedit iis a mola dictis, et deſtillandas curauit influentes per canalem thermas in latus dolens, vnde non ſolum dolor exquiſitus in latere adfecto, ſed quoque febrilis aeſtus eſt ortus. Medicus ordinarius ſacculos auena repletos vehementer feruidos imponi iuſſit, quos ego tamen ex cauſſa modo dicta remouendos ſuaſi, et emulſionem cum nitro, mandibulis lucii piſcis, ſyrupo de Althea Fernelii exhibui, vnde aegra ab incommoda valetudine liberabatur. Vena quum ſecaretur, ſanguis thermis immiſſus mox coagulatus et induratus conſpiciebatur. Ceteroquin deprehendi ſaepius, doloribus laterum infeſtari, qui ſtomacho cibis repleto balneum ingrediuntur nimis feruidum, vbi potius ex flatibus diſtentus dici meretur, continuato thermarum hauſtu ſanandus.

Obſeruatio IX.

Carcinoma.

Carolinae in cancro rem non abſoluunt, id quod FRID. HAENEL multa experientia doctus me docuit. Noui ego feminam aliquam ſanam ſatis et valentem, cuius mammae inſederat tumor ſcirrhoſus, cuius depellendi cauſſa hauſerat thermas Carolinas optimo ſucceſſu. Interiecto longo admodum temporis ſpatio, mollior ſponte ſua fiebat indurata pars, vlcusque aperiebatur, vt magna ſeri copia deſtillaret.

 Licet

Licet vero ars ſolam dilatationem effecerit, naturae tamen bonitate perfecta conſolidatio fiebat. Sed aegra vel celans rem, vel negligens, puſtulam ſeu veſiculam minimam, (qualem ego Berolini, docente clar. SEMFFIO, recrudeſcentis carcinomatis certisſimum ſignum vidi) adſtantes praeſtantisſimos medicos ſeque ipſam falſa ſpe deluſerat. Nam reuertebatur malum, et aegra, renitentibus medicis doctisſimis, vſum Carolinarum repetebat. Quo ſucceſſu id factum? neſcio. Licet igitur ego ipſe nunquam ſiniſtrum expertus fuerim in aegris, meae fidei creditis, effectum, obſeruationem tamen aliquam mihi faciendi non obtigit felicitas, quae ſalutarem Carolinarum vſum in carcinomate probaret.

Auriga annorum ſexaginta quatuor, robuſtus et optime valens, neque ſanguinis misſionem neque morbum vnquam expertus, genus vitae laborioſum cum otioſo mutauerat. Tunc ſua ſponte in pede ſiniſtro oedema durum absque tamen rubore oriebatur, quod praeterlapſa quarta anni parte chirurgus externis medicamentis ſanabat. Oriebatur in nucha inter medendum verruca, quae deinde in vlcus modo clauſum, modo apertum abibat, per tres tamen annos, neque dolorem, neque aliud incommodum creans. Quarto demum anno, ſaeuiente hieme rigidisſima, nata eſt inflammatio, et curationibus inconſultis rodentibus irritatum, latius vlcus cacoëthicum ſepiebat, adeo, vt ſeptimo anno quadrae magnitudinem aequaret, et dolorem excitaret vrentem et lancinantem, qui quoque anteriorem capitis partem occupabat.

pabat. Quum octauo anno me in conſilium vocaret aeger, ſatis bene valebat, vlcere ſuppurante, variasque excreſcentias globoſas et carnoſas extrudente, absque tamen oris calloſis. Interim licet vſum Carolinarum fruſtraneum praedixerim, carcinoma tamen iisdem thermis eluebatur, indeque, vel ex motu in itinere dolor acutus, aluusque alias dura et ſtricta ex cereviſia male defaecata, et crebrius immutata largiter fluebat. Suaſi porro thermarum hauſtum, vlcusque linteolo contegendum in feruidisſimis thermis madefacto, dein bene expreſſo, quod etiam hoc conſilio ſatis purgatum adparebat, parum odoris ingrati ſpirabat, glandularumque conglomeratarum ſpeciem referebat. Hauſerat vero quouis mane thermarum libras ſeptem, quae per diem aluum non mouebant, veſperi tamen noctuque ſemper frequentes ſedes excitabant. Eluebat deinde iterum carcinoma mane et veſperi feruidisſimis, quibus illud cruentum magisque dolens reddebatur. Abiens tandem, absque vllo leuamine, admittebat in itinere empirici cuiusdam medicamenta vehementer admodum irritantia, vnde dolor, vlcere celeriter ſerpente, ſuperueniebat acerbior. Domi, me ſuadente, interdum aluum ciebat purgante medicina, et inſpergebat vlceri puluerem ex lycopodio et topho Carolinarum calcinato, qui per integrum annum id ipſum ſuis limitibus coercebat, adeo vt ſtatus ipſius parum immutaretur. Tandem nono anno imprudentia curantis vehementer agitatum latius ſe diffudit. Inde doloribus capitis lancinantibus, mirum in modum exacerbatis, aeger decimo denique anno ex huius vitae malis fuit ereptus.

Iuuenem annorum viginti, ſanum et ſanguineum, decimo quarto aetatis anno leuiſſimum infeſtauerat vlcuſculum, in labio ſuperiori, verſus angulum oris ſiniſtrum, madens ſemper nulloque medicamento exſiccandum, vel conſolidandum. Licet vero ſcirem, ſpem fruſtraturam eſſe aegrum, data tamen opportuna occaſione, haurire iuſſi thermas ex fonte Carolino primario, linteaque iisdem madentia imponere vlceri mali moris et inſanabili, quod quamuis ad dimidiam partem exſiccaretur, poſt inductam tamen cicatricem recrudeſcebat.

Obſeruatio X.

Hepatis vitium.

Corporis tenuis et infirmi femina, annorum viginti quatuor, vltra quadraginta dies, continua conflictabatur febri, quam tandem ſequebatur icterus et pedum oedema. Tarde ſatis conualeſcebat, manente valetudine infirma, cum hepatis vitiati ſuſpicione, quam inprimis color ictericus, laſſitudo ſpontanea, febris lenta indicabant, et maculae ſic dictae hepaticae in fronte comitabantur. Adibat ergo Carolinos fontes ſalutares, iiſdemque effectu tam exoptato vtebatur, vt ſana deinde et ab omni hepatis vitio libera anno inſequente grauida facta fuerit. Alias quando pituita et bilis atra adeſt, et inſimul hepatis ductuumque bilioſorum obſtructio accedit, caute circa vſum thermarum Carolinarum eſt agendum. Nam celeriter

riter in motus agitur bilis, quae magnas ſaepius concitat turbas.

Obſeruatio XI.
Auditus difficultas.

Vir eruditus, anno aetatis nono, varioloſo morbo fuerat adfectus, quo ſuperato, auris vtraque laborauit fluxu vlceris redolentis et purulenti, ac ſaepius tinnire ſuſurrumque ſentire viſae ſunt aures. Anno decimo ſeptimo haec omnia peiora, mitiora vero vigeſimo erant. Decimo ſeptimo aeger adibat fontes noſtros ſalutares, quorum potatio primo quidem ſtuporem inſignem, morboſarum tamen adfectionum in auribus leuamen adferebat. Balneum vero, quod vltimo ingrediebatur die, et capitis ſubmerſio omnem ſpem ſanitatis recuperandae confeſtim deiiciebat, ſiquidem inde omnia fiebant peiora, pusque multo copioſius effluebat, certiſſimo auctae inflammationis indicio. Poſt tres annos redibat aeger, et fluxus puris in ſiniſtra aure tenax magis et parcior, in dextra erat fluidior. Quo copioſior eadem fluxio, eo difficilior ſemper auditus, et hac quoque vice vſus Carolinarum exoptato carebat effectu.

Obſeruatio XII.

Malum hypochondriacum et Melancholia.

Adoleſcens, doctrina atque optimarum artium ſtudiis egregie eruditus, morbo hypochondriaco laborabat, quem pertinax alui obſtructio et vertigo comitabantur. In vrina, quae repleto poſt paſtum ventriculo ſemper pallida erat, ramenta et filamenta albis capillis ſimilia cernebantur, inprimis praecedente motu corporis vehementiori, vel reſoluentium medicamentorum vſu. Confugiebat 1743 ad ſalutares noſtros fontes, medicaminum non tantum omnium ſatur ac pertaeſus, ſed quoque triſtis, timidus et omni valetudinis recuperandae ſpe deiectus. Frequentiores edebantur de animi dotibus amiſſis querelae ab aegro, qui tamen docte diſſerebat, et omnia, quae litteris conſignabat, laude et lectu erant digniſſima. Pedibus et equo iter ad fontem fecerat, aluusque per quinque dies obſtructa erat, quam rhabarbarinum et ſalinum remedium parcusque admodum thermarum vſus ciebat. Multae ſpaſticae conſtrictiones in variis corporis partibus, inprimis in abdomine, vrinae item ſedimentum, motus quaſi formicarum diſcurrentium in neruis, tremor artuum, tenſionis dolor in ſpina dorſi et capite, ſub hauſtu thermarum obſeruabantur. Aeger tandem ſequente anno a repetito thermarum vſu ex aduerſa valetudine incolumis euaſit.

Vir

Vir quidam litteratus, idemque totus in ſtudiis, annorum triginta quinque, per biennium hypochondriaco malo ſe correptum ſentiebat. Incipiebat morboſa adfectio cum torminibus circa vmbilicum, vertigine, dolore trahente a cordis ſcrobiculo, ad hypochondrium ſiniſtrum, pectoris oppreſſione et cephalalgia. Motus oriebantur ab impedito ſanguinis circuitu, et ſine dubio molimina haemorrhoidalia indigitabant. Porro ex continuata vita ſedentaria meditabunda, et accedente, vt ſolet, medela incongrua, exorta eſt melancholia flatulenta, ſeu malum hypochondriacum. Adibat ob id ipſum fontes noſtros ſalutares; ſed ſenſit miſer, inter bibendum ſtomachum ob flatuum et pituitae multitudinem impleri, et reiicere aquas medicatas, quae ſymptomata cum vnaquauis potione augebantur inſigniter. Thermae tamen multum pituitae vitreae euacuabant, aegritudinem leuabant, omnemque morbum, recentem nempe, ſanaſſent, ſi aeger Muſis non adeo delectatus fuiſſet, quibuscum etiam thermas potando nimium quantum conuerſari conſueuerat.

Vir quidam generoſus, validus et procerus, natiua corporis indole maſcula et forti praeditus, vehementiſſimis motionibus variisque tempeſtatum iniuriis adſuetus, ſentiebat per complures annos, ſubinde ex grauedine dolorem in ſyncipite, praeterea languidam cibi adpetentiam, et ſomnum imminutum, pectoris compreſſionem et conſtrictionem. Reſpiratio erat difficilis, imique ventris externa regio non raro nodis intenta, qui tangendo deprehen-

debantur, et in brachio quoque obſeruabantur. Facies palleſcebat, anxietates omnem quietem turbabant, extremitates artuum algebant, corpus omne frigido ſudore madebat, et parum aberat, quin deliquium animi ſequeretur. Frequentes et vehementes ructus flatuumque violentae emiſſiones adfectionem periodicam finire ſolebant. Aluus interdum ſuppreſſa, plerumque aliquoties per diem fluida, et quae ingerebantur, non raro inconfecta, et opinione citius deiiciebantur. Saeuiente hoc malo, pulſus plerumque debilis et celer, tempore vero, quo vena ſecanda videbatur, incitatior et vehemens erat. Somnus tumultuoſus ex inſomniis ſudoribusque prima cum vigilia manantibus et debilitantibus moleſtus. Olim haemorrhoides ſub ingruente malo fluebant, et deinde nares ſanguinem ſtillabant copioſum, quae tamen vtraeque excretiones rurſus ceſſabant. Animi omnes motus, inprimis iracundia vitaque quieta malum exaſperare ſolebant. Haec erant, quae medicus ordinarius referebat. Aegrum cum explorarem, deprehendi pulſum vehementem, incitatiorem et plenum, digeſtionem valde laeſam ex victus intemperantia et veram melancholiam, quam veteres flatulentam dicere ſolent. Vſus thermarum noſtrarum, quem aliquoties ſalutarem expertus fuerat aeger, etiam hac vice exoptato effectu non carebat.

Femina generoſa, rigiditatis vaſorum et viſcerum nimiae, coloris flaui, duodecim iam annos adfectu hypochondriaco laborabat, quem comitabantur motus ſpaſtici, dolor ſub hypochondrio dextro vrens, anxietates, cordis palpi-

palpitatio, pulſatio arteriarum, quae ad caput feruntur, inprimis veſpertino tempore, multa tenuis ſaliuae ſputatio, ſomnus anxius, menſtruus fluxus parcus et decolor, morbus articularis, qui vehementer ſaeuiente hypochondriaca adfectione remiſſior, oedema, triſtitia, metus. Inſtante menſium fluxu haec omnia grauiora, mitiora tamen ſub hauſtu thermarum, nullaque fluentibus menſibus cordis palpitatio, nullum oedematis incrementum, vti alias ſolebat. Sumto purgante, mota materia, pituitae tenaciſſimae fruſtulum ad formam inteſtini oblongatum exibat per anum, id quod in his aegris, ſi ſimul gulae indulgent, cibisque, qui difficilis ſunt digeſtionis, delectantur, aliquoties obſeruaui, et ſuſpicionem abſceſſus diſrupti fecit. Noſtra ex balneo molarium, oedematis imminutionem ſentiebat, multum leuata diſcedebat, et ſana inſequente anno redibat.

Vidua annorum triginta quatuor, habitus corporis laxioris, ex animi adfectionibus, innataque animi puſillanimitate, potu Caffee ſecundario, et terreſtre, cum nimio otio, et corporis torpore diu adſumto, melancholica fiebat. Color externus erat flauus, cum maculis ſimilibus, humorum ſecretoriorum et excretoriorum omnium tardior exitus, parcior adpetitus, macies, moeſtitia, ſolitudinis amor, torpor ad mouendum, nullus ſtudii cuiuscunque vel laborum amor. Thermae noſtrae iuxta molam bullientes, primis diebus, creabant nauſeam, vomitus pituitoſos, tuſſim et ſputum craſſum aluumque bene ciebant, et cibi adpetentiam maiorem accendebant. Quum vomendi conatus non re-

mitterent, dedi nono die pilulas laxantes, quae ſexies aluum mouebant, inſequente poſt meridiem virium defectione et laſſitudine ſumma. Illae tamen ex furioſo fonte deinde thermae minus nauſeoſae erant, aegram alacriorem reddebant, menſesque vt rite et iuſto tempore fluerent, efficiebant. Color vero faciei flauior factus magnam hepatis obſtructi vel atrae bilis motae ſuſpicionem mouebant. Interim ad reſtinguendam oris ſiccitatem moleſtam veſperi hauriebat decoctum ex tartari cryſtallis: excretiones omnes feliciter ſuccedebant, thermae aeque ac laxantia interpoſita, copioſe aluum ciebant, aegraque in dies alacrior et viuidior facta, ſana domum reuertebatur, vbi tamen ex vita otioſa et animi adfectu pertinaci eadem aegrotatione iterum adficiebatur.

Vir triginta annorum, validus, et ob mercaturam ſaepius itinera ſuſcipiens, melancholia corripiebatur. Anxietates, cogitationes perverſae, cordis palpitatio, animus paruus et timidus, interdum incipiens furor, et oculi torui morbum indicabant. Hauriebat primis diebus, absque incommodo, noſtras thermas, niſi quod poſt epulas repletionis ſenſus interdum et capitis dolor ipſum inceſſeret. Sumto laxante, deiectiones erant bilioſae et aquoſae, ſudorque ſub continuata thermarum potatione copioſe profluebat, potiſſimum noctu. Parum inde leuatus, licet domum reuerteretur aeger, tamen deinde morbum mitiorem experiebatur. Cum vero vſum thermarum anno inſequente repeteret, corpus ſemper ſudore diffluebat, et morbus ſatis difficilis ſanabatur, ea quidem firmita-

mitate, vt aeger nunc per aliquot annos integra valetudine gaudeat. Repetebat deinde vſum thermarum ad confirmandam magis ſanitatem praeſentem, quam recuperandam amiſſam.

Vir generoſus, ſtrenuus, valens, natiua corporis ſpecie nigra, hirſuta, ſicca, ex variis erroribus in diaeta, et moerore, melancholicus fiebat, mens aliena eſſe incipiebat, vanaque triſtitia metuque concutiebatur. Color erat fuſcus et niger, animus ſemper deiectus, anxius et meticuloſus, pedum vacillatio, fluxus haemorrhoidalis ſubito ſuppreſſus, imus venter flatibus tenſus, aluus conſtipata, vrina inſtar iumentorum ſedimentum oſtendebat ſaepius farinaceum. Ex potu aquae frigidae, et equitatione, abdomen collabeſcebat, aluusque ſoluebatur; ſanguis, qui e vena ſecta manabat, erat ater et tenax. Thermarum noſtrarum potatio purgantiumque interpoſitorum vſus, aegrum corpore et animo alacriorem reddebant. Ictericus vero color, hypochondriorum dolor et tumor, pulſus incitatior et plenus ſaepius intermittens, in hoc indicare videbantur, materiam atrae bilis lentam, tenacem et immobilem factam, vaſa hypochondriaca viſceraque ipſa intra lienem, et maxime hepar obſtruxiſſe. Aeger tamen mortem quam maxume pertimeſcens, dirisque mentis angoribus exagitatus, licet omnem recuperandae ſanitatis ſpem prorſus abieciſſet, ex incommoda valetudine tandem emergebat.

Obſer-

Obſeruatio XIII.

Malum hypochondriacum cum materia.

Miratus ſaepius fui, homines ingenii ſtupidi et languidi vſu Carolinarum ad res peragendas euadere alacriores et magis ſtrenuos, resque explicatu difficilis mihi eſſe videbatur. Deprehendi vero tandem morbum iſtum ex cruditatibus originem traxiſſe. His enim remotis, ſanitas et animi vigor redibat.

Boëthus ſartoris, idemque iuuenis, admodum piger et ſomnolentus, hauriebat Carolinas, quae aegrum alacriorem, agilem et induſtrium reddebant.

Iuuenis mali ſucci alimentis veſci coactus, tempore perquam importuno, nimirum eo, quo iamiam cubitum erat eundum, artem typographicam quum addiſceret, ſtupidus fiebat, laſſus et piger. Ex vſu Carolinarum, mutato ſeruitio et regimine, promtior et agilior ad rem agendam factus eſt.

Frater eiusdem, ſtudiis operam nauans, eadem de cauſſa, inprimis eſu ſolani eſculenti tuberoſi, ſtupidus factus eſt, thermarum earundem hauſtu alacris et promtus ad ſtudia tractanda euaſit.

Obſer-

Obſeruatio XIV.
Phimoſis habitualis.

Carolinarum vſum bis deprehendi ſalutarem in phimoſi habituali.

Vir triginta annorum phimoſin bubonemque venereum contraxerat, multisque incongruis medicamentis, ſanguinem purificantibus, internis et externis vexatus, tandem adibat Carolinos fontes. Aderat phimoſis, fluxus haemorrhoidalis, plenilunio ſemper recurrens, caruncula in margine praeputii anteriori, veſiculaeque luteae, quae apertae cicatricem altius impreſſam relinquebant, et purpura, omnem corporis peripheriam rubro quaſi panno obducens, ex crebriori et frequentius repetito vſu medicinae reſoluentis et calidi nimis regiminis, quo per quatuor annos delaſſatus erat aeger. Diſſuaſi ergo peruerſam medendi rationem, et inprimis regimen calidum, ſanguinemque purificantia. Quo etiam conſilio purpura euaneſcebat, et aeger melius ſe habebat, licet phimoſi eadem manente, quum Carolinis valediceret. Redibat vero anno inſequente, ab eadem liber, et ob ſanitatem integram laetus.

Vir temperamenti maxime ſanguinei et ſtrenuus ſemper in campo veneris athleta, ex gonorrhoea male ſanata, teſticulum habebat induratum, et ferme ſcirrhoſum, vaginamque faſciculi ſpermatici in eodem latere, naturam ſpongioſi corporis ad tactum referentem. Tandem ex ſitu corporis ad coeundum inepto, oritur

oritur ſubito tumor inter corpora cauernoſa, duos infra glandem pollices, fabae minoris magnitudinem aequans, ex contactu vehementer dolens, et ex incuruatione et phimoſi coeundi potentiam et membri erectionem validam impediens. Carolinis thermis, quibus aeger adſuetus erat, eo ſucceſſu vtebatur, vt tumore quidem ad penis radicem et teſticulo indurato remanentibus, incuruatio tamen phimoſisque remitteret. Res erat in eodem morbo notatu digniſſima, quod ſemper accedente deſtillatione teſticulus non ſolum multo magis tumeret, verum etiam omne ſcrotum laxaretur inſigniter, adeo vt herniam ſubeſſe medicus ordinarius, alias experientiſſimus, falſo pronunciaret.

Obſeruatio XV.

Polypus cordis.

Circa diagnoſin polypoſi concreti vel in corde, vel in ſyſtemate eidem adiacente, vaſorum ſanguiferorum, ſaepius fallunt fallunturque medici, inprimis in hypochondriacis ſic dictis aegris, qui grauiſſimis anxietatibus et cordis palpitationibus anguntur. Palpitatio enim iis familiarior eſt, quos flatulenta melancholia fatigat, et quibus ex atra bile lien tumet. Huius rei veritatem multoties me docuit ſalutaris Carolinarum effectus in iis, quorum cor anxium miſere palpitabat. Vidi vero etiam earundem thermarum vſum ſalubrem in cordis palpitatione, quae cauſſam organicam habere vide-

videbatur. Vir triginta annos natus, potu diluente vtens, et a zytho prorſus abſtinens, corpore cibis repleto et aeſtuante, inſedit balneo aquae dulcis praeferuido, et ſubſequente refrigeratione, ſentit cordis palpitationem, quae per quindecim annos, ſaepius ex improviſo, in ſumma corporis requie, ſedendo, vel in locum decliuem deſcendendo, modo celerius, modo tardius redit, cum anxietatibus et difficili reſpiratione, reclinato vero corpore in lecto, vel profluente ſudore mox remittit. Omnis quoque facies ab eo tempore, quo balneo vſus fuerat, rubebat, et varis foedata erat. Hae duae morboſae adfectiones vſu thermarum Carolinarum externo et interno, tribus vicibus repetito, remittebant. Nulla, durante eodem, ſentiebatur moleſtia, niſi quod interdum flatibus extenſum abdomen difficilem redderet reſpirationem et anxiam, id quod aquae fontanae inertis flatusque generantis potationi potius tribuendum.

Obſeruatio XVI.

Coli dolor.

Viduae, ante annos quinquaginta et plures natae, ex grauiori perterrefactione et regimine forte calido, in collo et digitorum extremitatibus exanthemata proueniunt, quae vſu rhabarbari et ſeri lactis acidi euaneſcunt ex parte quidem, mox tamen redeunt. Vtitur deinde per integrum annum, et quod excurrit, loco zythi, ſarſaparillae decocto, et aluus ſemper

eſt

eſt ſuppreſſa. Tandem grauiſſimus imi ventris cruciatus incidit, qui in vmbilici regione incipiens, in modum zonae ad hypochondrium extenditur, et circa dorſum et pectus vagatur. Hoc durante, pectus non raro comprimitur, nauſea et vomitus crebro mouentur. Dolor per horas quatuor et quinque eam adfligit. Clyſmata inflant imum ventrem, inprimis ad latera, non ſine doloris augmento, tardeque redeunt, vt copioſe inſimul flatus erumpant, et interdum cruoris parum excernatur. Aegra per hoc tempus ſe admodum debilem ſenſit, totaque alſit, et licet dolor paullulum remiſerit, inſequutus tamen eſt aurium tinnitus et ſuſurratio, arteriarum in capite pulſatio, anxietates et aeſtus per horae quadrantem durarunt. Poſt ciborum adpetentia et concoctio amittitur, iidemque frequentiori vomitu absque nauſea ſaepius reiiciuntur. Excrementa alui erant tenaciſſima, quin et flaueſcentia. Ab eo tempore, quo haec colica haemorrhoidalis infeſtabat aegram, graues capitis dolores, difficilis reſpiratio, et aſthma, conſueta alias incommoda, prorſus remiſerant. Haec erat morbi ratio, per litteras mihi a medico ſignificata, quum aegra noſtros fontes medicatos adiret. Sub thermarum potatione vna tantum vice, ex praegreſſa refrigeratione, coli dolor, mitior tamen et breuior, incidebat, teneſmo moleſto, quem tamen collyriolum, ſapone confectum, mox leuabat. Purgationum vim infringebat ſemper anxius aegrae animus, et tranſpirationis negotio iisdem turbato, fluxiones ſeroſae naſcebantur. Externus deinde Teplicenſium thermarum vſus quoque condu-

cere

cere videbatur, et domi, hebdomadibus duabus praeterlapſis, alui profluuium, forte ſalutare ſequebatur, colique dolor non recurrebat.

Vir quadrageſimum annum emenſus, quum vitam actuoſam cum magis quieta permutaret, victu lauto, diaeta vinoſa, regimineque nimis calido vteretur, morboſas adfectiones, quas portarum venae pariunt obſtructae, experiebatur. Inprimis dolor ſub dextro hypochondrio ſtabilis, vehementer excruciabat, quem neque flatus, neque ructus leniebat. Ipſum inteſtinum immaniſſimo doloris tormento adfligebatur, vt terebello etiam pertundi videretur, ac paene ſpiritum extingueret. Huius infirmae valetudinis cauſſa ad fontes noſtros ſalutares accedebat, quorum, vt et cereuiſiae minus defaecatae potatio ventris inflationem, repletionis ſenſum, doloremque in regione ſupra vmbilicum prementem creabat. Sed facta pituitae tenaciſſimae per aluum euacuatione, flatus intus quodam veluti rugitu obmurmurantes exitum quaerebant, dolor tenſionem inducens, cruciatusque deinde ceſſabant, elapſis nunc ſex annis non recurrentes.

Obſeruatio XVII.

Vrinae incontinentia.

Vir quinquaginta annos natus, ſanguineus, validus, nullis ſe obligabat legibus, vario vtebatur vitae genere, pro arbitrio, modo ruri, modo in vrbe erat, nec medico egebat. Hic

ira grauiori exagitatus, lateris dolore lancinante, febrique continua corripitur, qua per tres hebdomadas ſaeuiente, omnes excretiones per aluum et veſicam vrinariam per decem dies ceſſaſſe, pariter aeger referebat. Data medicina vehementi, cruoris ex veſica feruntur librae ſex, vrinaque paullatim veluti ſtillicidio quodam manabat, et manando cruciatus ciebat, tandemque, inuito aegro, ſubinde ſine acrimoniae et doloris ſenſu, interdum contra ex leui in diaeta errore, cum dolore acerbiſſimo et acuto profluebat. Vitium hoc in ſenibus curari non poteſt, idemque ſi per febres enaſcitur acutas, viribus infirmis peſtiferum eſt. LOMMIVS in *obſeruationibus medicinalibus*. Aeger interim ob veneris et in hanc ſtimulantium abuſum, valde ſuſpectus, valetudini parum parcebat. Quum adiret thermas noſtras, primis diebus ex motu in itinere, quod equo fecerat, et vario multiplicique potu, experiebatur mictionem doloris admodum plenam. Sed aluus deinde ex pilulis et molaribus thermis copioſe eſt laxata, nec vlla vrinae excretio et nullus illius ergo dolor ſentiebatur. Ante febrem ardentem, ſemper per totam vitam, pedes ſudabant impenſe, poſt eandem, et ſub vſu quoque Carolinarum, continuo algebant, aeque ac manus ſudore madentes. Inſedit iisdem a mola dictis thermis, easdemque ex primario fonte hauſit, et de die vrinam diutius retinere valebat, verum noctu absque ſenſu et praeter voluntatem elabebatur. Ex balneo nimium feruente aeſtuque oriebatur virium defectio, vrinaeque excretio, non ſine dolore maximo. Decimo ſexto die iam per quinque horas vrinae profluuium absque doloris

loris ſenſu reprimere valebat, diuerſosque potus ferebat, die tamen trigeſimo per totam noctem vrinam continebat. Ad confirmandam ergo ſanitatem deinde ſaepius balneum thermarum e primario fonte prorumpentium ingrediens, ab incommoda valetudine liberabatur.

Obſeruatio XVIII.
Aſthma.

Vir caelebs annorum quinquaginta, gurges atque heluo abdominique ſuo natus, ſordidus, mirabile certe caput, eam ſibi contraxerat ſanguinis abundantiam, vt vaſa paene creparent. Eiusdem redundantia ad caput ferebatur tanta, vt omnem excederet fidem. Tota nempe facies rubebat inſigniter, oculi continuo pus ſtillabant, vaſa ſanguifera, inprimis in collo, ſolito ampliora, ad modum iliacorum et vltra turgentia, mollem, ſed magnum et latum conſtituebant tumorem, nulla fere copia fandi relicta, et reſpirationis ſumma difficultate inſurgente. Pulſus ſemper plenus, magnus et nullo certo interuallo intermittens, dolor ſub hypochondrio ſiniſtro verberans, et grauabilis, viginti annos offendens, lienis vitium indicare videbatur. Venam in pede ſecari iuſſi, ſanguinisque ex atro rubri et tenſi vncias decem emiſi, quo fluente, pulſus paruus, qui ſemper ex thermarum hauſtu celerior fiebat; quod tamen, quum in aliis minus obſeruauerim, regimini nimis calido tribuendum iudicaui. Expertus nempe fui, arteriam ſpatio duodecimae partis

horae, ante potationem thermarum, trecentos et triginta, et poſt eandem trecentos et ſexaginta rhythmos pulſare. Antea ſub aegritudinis initium pulſantem ſub hypochondrio ſiniſtro dolorem ſemper inſignis ſequutus fuerat ſudor, a pedibus incipiens, qui ex potu thermarum, eodem modo irruebat. Quum per decem dies ſolas a mola dictas thermas hauſiſſet, illas ex furioſo fonte addere iuſſi, quo tempore largus ſaliuae fluxus, iis, quorum viſcera in abdomine obſtructa, familiaris, obueniebat, diureſi multum inſimul imminuta, hacque aucta illa ſemper imminuebatur, id quod aliquoties factum fuit. Pulſus deinde fiebat aequalis, fandi potentia minus difficilis, ſtillicidium oculorum purulentum parcius, lintea thermis madida collo tumenti adplicata, tumorem in dies decreſcere faciebant, doloremque reſolutorium excitabant. Ex pediluuio thermarum, quod feruidum nimis et diutius iuſto aeger adhibuerat, oedema ſemper ſuperiorum intumeſcentiae reſpondens euaneſcebat, ſenſu liquidi adſcendentis in tibia, colli tumore admodum aucto, fandi impotentia et reſpirationis difficultate increſcentibus; quae omnia tamen ex continuatà thermarum potatione mitiora fiebant. Finem medendi feci per thermas, laxante ſalino et mannato, quod largiter aluum ciebat. Aeger hoc facto, noctu lecto incumbens, nullum prorſus ſentiebat in collo tumorem, qui tamen prono corpore ex vaſis praeter modum dilatatis reuertebatur.

Geneроſus vir ſexagenarius, validus, fibra ſtricta adfectus, vini adſuetus largiori potationi, queritur

ritur de adpetitu minus conſtanti, matutina nauſea, quam potus Thee auget, ructu acido, frigoris in abdomine ſenſatione, interne aeque ac externe, difficili reſpiratione, ex leui motu, inprimis altiora adſcendendo, et aliis, quae concoctionem laeſam indicare ſolent. Inprimis poſt coenam, elapſis quinque ſemper horis, in lecto inquietudo, anxietas, reſpiratio difficilis, colli et pectoris conſtrictio tanta aderat, vt ſuffocationem minitaretur. Huius adfectionis morboſam cauſſam dicit medicus, qui Carolinarum vſum ſuaſerat, canalis alimentoſi relaxationem digeſtionemque vitiatam. Bonus tamen corporis habitus, quem aeger prae ſe ferebat, hanc rationem dubiam reddere videbatur. Opinor potius, ſanguinem nimis glutinoſum difficulter admittere nouum chylum, vel eundem ibidem ſanguini aegre admiſceri, unde anxietatem et aſthma ortum traxiſſe autumo. Interim purgatio, quae licet mitiſſimo, vel ſolo ſalino medicamento tentaretur, tormina tamen grauiſſima, tenſiones ſub hypochondriis animique defectionem excitabat. Hic ergo effectus moleſtus, pituitae ſtomachicae et inteſtinalis morboſae, ſeu pituitae veteribus vitreae dictae, congeriem praeſentem indicare videtur, de quo Illuſtris VAN SVIETEN *in commentario ad* BOERHAAVII *aphoriſmos practicos Tom. I* § 71 notat ſequentia: obſeruatum ſaepius fuit, per aluum excerni ſplendentes, gelatinae inſtar, tremulas, et puriſſimi vitri inſtar, pellucidas maſſas, quae ob tenacitatem glutinoſam, huc referri poſſe videntur. Sed plerumque acerrimos abdominis dolores prius toleratos ſequitur haec pituita vitrea. Huius excretionem

ſaepius in vſu Carolinarum obſeruaui, minus tamen doloribus moleſtam, vel ex motu in itinere, vel vi thermarum diluente, incidente et laxante: ex qua forte cauſſa in noſtro aegro quoque ſal Carolino fonte excoctus mitius adficiebat, et copioſe euacuabat inteſtina, thermaeque primum illae ad molam bullientes, deinde feruidiſſimae, aluum absque vlla moleſtia molliebant; immo laxantia infuſa, quibus ſennae folia addebantur, nullum creabant dolorem, ſomnus quietior reddebatur, et ſpaſmodica in pectore oppreſſio prorſus ceſſabat.

Obſeruatio XIX.

Lienis tumor.

Generoſa femina, alacris et ſterilis, corporisque habitus pallidi et laxi, abdomen aeque ac hypochondrium ſiniſtrum, per interualla grandeſcens, nacta erat ex terrore, quem triſtes cogitationes, vagus aeſtus, tumorque ſub hypochondrio ſiniſtro, modo dolens, modo minor factus, excipiebat. Emiſſio ſanguinis liuidi, atri et tenaciſſimi, non ſolum aegram multum leuabat, ſed ſenſationem quoque in latere adfecto, doloris plenam mitigabat. Ex vſu thermarum Carolinarum omnis lienis obſtructi ſuſpicio euaneſcebat, et aegra paullo poſt felix fiebat puerpera, quae doloris reſolutorii ſenſum ſub hypochondrio ſiniſtro, quem thermarum potatio excitabat, quaſi mus quiſpiam percurreret eandem corporis partem, exprimebat.

Obſer-

Obſeruatio XX.

Menſes albicantes ſeu pallidi.

Puella optima, annorum quatuordecim, viuida ſatis, ingeniique praecocis, patiebatur excretionem albicantem, menſtrua periodo recurrentem, cum nauſea, cardialgia et vomitu frequenti, quibus tamen ſymptomatibus commiſſi circa diaetam errores ſaepius anſam dabant. Interim Carolinarum vſus repetitus, ſaniſſimam reddebat aegram, animo et corpore praeſtantiſſimam.

Puella octauo aetatis anno, viuidisſima, ingenii maxime praecocis, licet pallida, tamen perfecte quoad reliqua ſana, nata patre vitae incredibiliter lautae adſueto, et matre laxi corporis habitus, albo fluxu muliebri, iiſdem menſium diebus, absque vlla moleſtia laborabat. Certe erat alacritas innata, quae per vaſa vterina minima lympham loco ſanguinis menſtrui excernebat. Pergebat interim aegra haurire thermas Carolinas, durante hoc fluxu, me tamen diſſuadente regimen calidum, ne recederet fluxus, qui nihilominus celeriter retinebatur, vnde totum corpus fiebat graue, dolebatque caput vehementiſſime. Diminuta ergo magis doſi, thermas haurire iuſſi, qua aluus ſatis laxa reddebatur, fluxus redibat, aegra perquam optime valente. Recte ergo LOMMIVS *in obſeruationibus medicinalibus de fluore muliebri* p. m. *246* habet: vteri fluor non ſolum aetate maturas, verum etiam virgunculas adficit iuniores, quas eſſe foedas triſtis pallor facit.

Obſeruatio XXI.

Menſtruorum retentio.

Puella annorum ſeptendecim, laxioris corporis habitus, menſtruata quidem, non iuſto tamen modo, ſed parcius, et cum doloris ſenſu, difficulter ſpirabat, compreſſionem in regione epigaſtrica ſaepius ſentiebat, nauſeabat, cibum faſtidiebat, et admodum inquieta erat. Tertio iam die ſub vſu Carolinarum, adpetentia cibi et viuacitas deinde redibat. Die duodecimo, cum laxans medicina hypercatharſin excitauiſſet, menſes fluere incipiebant, pallidi tamen. Horum fluxione finita, aegram aliquoties inſidere iuſſi thermis molaribus, quo facto optime valebat.

Obſeruatio XXII.

Menſtruorum fluor.

Femina cachexia ſeroſa adfecta, annorum viginti ſex, fluxu muliebri, nullo certo ordine vel circuitu prodeunte adfligebatur, poſt aliquot abortus, et duorum corporum ſpongioſorum excretionem, breui antea per vterum factam. Caput dolebat, et interdum imus venter inſigniter tumebat. Dedi pilulas laxantes, vnde vomitus bilioſus, et largiſſima per aluum euacuatio, adpetentia tamen ciborum bona, et inde recrudeſcens capitis dolor, atque ex ſubſequente thermarum hauſtu nauſea re-

pletio-

pletioniſque in abdomine ſenſus, ſaepiusque ex improuiſo eiusdem tumor inſignis. Septimo die vix ſenſibilis cruentus fluor per muliebria, qui remittebat, balneo ex molaribus, quo ſuo conſilio inſidebat aegra, quae octauo perquam optime valebat, et absque nauſea thermas bibebat. Sed die decimo menſtrua nimium fluere incipiebant, adeo vt requies et medicamenta temperantia incraſſantiaque eadem, non niſi decimo quinto cohibere valerent, eo tamen ſalutari Carolinarum effectu, vt elapſis annis duobus felix fieret puerpera.

Obſeruatio XXIII.

Articularis morbus.

Virgo nobilis, neſcio ex qua cauſſa, debilis pedibus manibusque, articulorum dolore octo iam per annos vexabatur. Articuli manus cum anteriore brachio, prorſus erant rigidi et inutiles, digitique omnes firmitate priuati, retorqueri poterant absque dolore, in alteram manus partem volae oppoſitam, dorſum manus vocare liceat. Quam primum nudis pedibus terram attingeret aegra, recrudeſcebat et ingraueſcebat malum, id quod in venae inciſione quoque accidebat; multum tamen leuaminis ſentiebat ex vſu Carolinarum, quem etiam ſequebatur exanthematum copioſus prouentus, qui ſaepius articularem morbum ſoluit, non raro autem effectus regiminis nimis calidi exiſtit. Balneorum, quibus incoctus eſt ſapo, incredi-

credibilem in eodem morbo eſſe vſum, in iis, qui abſtinentiam exercere valent, experientia edoctus ſum.

Vir optimae aetatis, plethoricus, viſu ſaniſſimus, ab anno aetatis decimo nono arthriticus, adeo, vt guttur doleret, et lingua ſaepius ex improuiſo tumeret, hauriebat Carolinas ex furioſo fonte, quae dolores articulorum ſopiebant.

Opifex annorum viginti quatuor, ſentiebat cephalalgiam, tremorem in artubus, graues in abdomine dolores lancinantes, qui ſaepius remittentes excruciabant extremitates, et, accedente motu corporis vehementiori redibant ad abdominis contenta. Sectam venam excipiebant primum infimi ventris dolores, deinde extremitatum. Thermae Carolinae primo die motum excitabant in abdomine ſingularem, et paullo poſt articularem dolorem et nauſeam. Continuatus thermarum potus omnes has adfectiones morboſas mitigabat, ſiquidem et balnea ex feruidisſimis ſingularem adferebant vtilitatem. Licet enim, forte ex aeſtu nimio thermarum, et inſequente refrigeratione, dolor in abdomine torminoſus rediret, tamen thermarum hauſtus inſequens eundem ſopiebat, articulos non, vt ante, infeſtans, adeo, vt aeger multum leuatus diſcederet domum.

Femina annorum quadraginta ſex, morbo articulari et iuncturarum rigiditate laborabat. Corpus erat ſiccum et variis multisque medicamentis paene conſumtum. Vena ſecta, ex-

ſtillabat

ſtillabat ſanguis viſcidus et pituitoſus. Secundo die pilulae laxantes aluum ex voto mouebant, et tertio librae octo thermarum duas deiectiones moliebantur. Circa meridiem ſumma laſſitudo ingruebat, et in ſomnum propenſio. Indulgebat genio mirabilis admodum aegra, et poſt ſomnum, quo ſepulta quatuor horas in lecto fuerat, alacris et refecta ſurgebat. Pergebat ad decimum diem, quo ſuo conſilio inſidebat balneo ex feruidiſſimis, vnde tumor partium dolentium diſſipabatur, rigiditas et dolor acerbior redibat. Suaſi thermas lacte temperandas. Sed ſurdis auribus narrabatur fabula, et aegra de ſalutari effectu deſperans, domum reuertebatur.

Obſeruatio XXIV.

Malum iſchiadicum.

Seruus, quoad reliqua ſanus, aetatisque iam perfectae, ſentiebat per annum integrum et dimidium dolorem iſchiadicum, interdum verſus inguen et genu progredientem. Sumto laxante, quod copioſe aluum mouebat, mane hauſit thermas ex furioſo fonte, et veſperi inſedit illis iuxta molam bullulantibus; quumque prima vice balneum ſudorem copioſum eliceret, aegerque tempeſtate admodum frigida regimen minus obſeruaret, male ſeſe habebat. Solo deinde balneo contentus, obſeruataque diaphoreſi, dolor in crure rheumaticus mitior erat, licet aluus per tres dies obſtipata eſſet.

In-

Inſidebat tamen aeger, quotidie molaribus, vſque ad diem tertium, quo ex refrigeratione dolor iſchiadicus magis fixus reddebatur. Iuſſi igitur deinde vti balneo ex feruidiſſimis, et tunc bibendum decoctum praebui, ex polypodio et arnica cum lacte, fricare partes ſuaſi, exhibuique pulueres ex nitro et antimonio diaphoretico, poſt meridiem et veſperi, quo conſilio profluentibus ſemper ſudoribus aeger ſanitatem priſtinam recepit.

Obſeruatio XXV.

Podagra.

Vir linioſus, quadragenarius, et magna corporis ſiccitate, ex ſolis aeſtu, et equitatione in itinere verſus Carolinos fontes, dolores podagricos ſibi contraxerat, quibus ſaepius obnoxius erat. Noctu ex frigore admiſſo, aluus aliquoties aperta fiebat, ex qua cauſſa abſque purgante medicamento, thermas haurire ipſum iuſſi, quo conſilio admiſſo, dolores articulares remittebant primo die quidem, redibant tamen ſecundo, pedesque tumebant, poſt meridiem veſperique vertigo accedebat. Tertio die excernebantur thermae, podagrica adfectione manente; quarto dolor remiſſior, tumor maior, et quinto manus quoque dolebant. Sexto et ſeptimo dolor prorſus remittebat, tumor omnis euaneſcebat, et aeger continuata per tredecim dies thermarum potatione, aegritudine leuatus, domum redibat.

Gene-

Generoſus vir, ſenectute prouecta, validus tamen et vegetus, podagricis doloribus interdum adfligebatur. Ex itineris incommodis, praecipueque ſolis aeſtu, Carolinos fontes adibat, dolore et rubore in vtriusque pedis pollice adfectus. Facta per ſalinum medicamentum purgatione, et thermarum potatione, omnes excretiones ex voto ſuccedebant, cum plena podagricae adfectionis remisſione, et magno aegri leuamine.

Generoſus vir, annis quadraginta et quod excedit, natus, ſanguineus, heluo vini, podagricis doloribus ſaepe infeſtabatur. Adibat fontes noſtros ſalutares, pedum oedemate adfectus, et tumore genu duro et indolente. Largiſſimus ſequebatur inter potationem thermarum haemorrhoidum fluxus, quem vini ingurgitatio et lauta diaeta multum iuuabat, pedum adfectione ceſſante. Elapſis aliquot annis, idem malum redibat, et aſthma ex inordinata cohibita et moleſta per haemorrhoides excretione inſurgebat. Aeger tamen earundem thermarum vſu ab incommoda valetudine liberabatur.

Obſer-

Obſeruatio XXVI.

Laeuitas inteſtinorum, quo continere nihil poſſunt, et quicquid ingerunt, inconfectum protinus egerunt aegri.

Vir annorum triginta duorum, qui in India orientali quum viueret, dyſenteria laboraverat, ab incolis Perſi dicta, inteſtinorum laeuitate corripiebatur, qua remittente, ex improuido forte adſtringentium vſu, aqua intercus, pectoris anguſtia, tuſſis et eiectio pituitae tenacis albae ſequebantur, quae omnia ſymptomata tollebat aluus, vbi fluere incepit. Quam primum vero excretio pituitae albae ceſſabat, flatulentiam et anxietates creabant adſumta, et excretiones aluinae modo tenaciſſimae, ex atro nigrae erant, modo aquoſae et cruentae loturaeque carnis ad inſtar. Hauriebat Carolinas, quae primum potae pectoris anguſtiam augebant, ex ventriculi tenſione, roſionemque inſignem excitabant. Sexto vero die fluor alui cruentus remittebat, adpetentia cibi redibat, et exſpuitio ſaliuae, antea fere nulla, facilior reddebatur. Interdum pulſus celer et fortis, impulſus ſanguinis ad caput, ventriculi ardor, flatulentia, fames canina, et ſub vltima excretione aluina rodens dolor. Sub finem ſua ſponte, nemine ſuadente, inſedit thermis aeger, et inſequente anno in Indiam orientalem rediit. Quum interim in hoc nulla obſeruata fuerit alimenti in confecti excretio, morbus potius dyſenteria dicendus venit.

Vir annorum viginti quinque corripitur febre bilioſa, quam minus rite ſanatam excipiunt dolor in ſiniſtro hypochondrio vehemens, vomitus, vrinaeque ardor, et tandem inteſtinorum laeuitas, ſub qua venter emollitus, ſordidus et rugoſus redditur, adſumtaque difficilis concoctionis inconfecta exeunt per aluum, quae interdum obſtipata, luna decreſcente tamen ſemper fluida, deiectioque modo mucoſa et ſimilis aquae, qua nuper mactatae animantis carnes ablutae ſunt, ſubcruenta, et non raro fimi ouilli inſtar, multis tunc cum torſionibus et doloribus, interdum aſcaridum et lumbricorum exit copia. Ad haec cordis frequens palpitatio, aſthma ſubitaneum, animi defectio, facies triſtis, quodam pallore, aut virore foedatur. Iusſi haurire abſque laxante Carolinas, quae quoque copioſe ſatis aluum poſt meridiem mere aquoſam mouebant, adeo, vt quantitas imminuenda eſſet, quum inprimis ſtomachi imbecillitas concoctioque difficilis ex alia cauſſa ſubeſſet. Interim alui fluxio, quae lienteria et hepatica dici poteſt, duabus hebdomadibus poſt vſum thermarum remittebat, excrementa magis naturalia fiebant, corpusque reficiebatur.

Obſeruatio XXVII.

Aluus ſuppreſſa.

Feminae ſterili, annorum quadraginta, duobus abhinc annis, menſium defectus acciderat, quem varii in abdomine inconſueti motus ſeque-

quebantur, et accedente frequenti vſu pilularum balſamicarum Stahlii, aluus ſemper dura aegreque mobilis erat, et corpus ſaepe ſudore diffluebat, praecedente aeſtu flagrantisſimo. Solum igitur rhabarbarum nitro mixtum aliquoties adhibui ad praeparandum corpus, quo etiam aluus optime ſuccedebat. Primo die thermae ex primario fonte, poſt meridiem aluum mouebant aliquoties, ſecundo vero ſola excretio per ſudorem, quo noctu paene perfluebat aegra, contingebat. Suaſi igitur feruidisſimas molaribus mixtas hauriendas, veſperique pulueres temperantes adhibendos, quo conſilio aluus ordinarie mane aperta, et excretio per veſicam vrinariam parcisſima ſuccedebat; ſudor vero erat copioſisſimus, quo intercepto, aegra inhorreſcebat, ſenſu in abdomine repletionis, aſthmate, capitis ſtupore, et aeſtu. Sumtis deinde licet pilulis fortioribus, aluus tamen non reſpondebat, ſudorisque excretionem ſolam excitabant thermae, borborygmorum ſonitum liquido exaudiebant etiam ab ipſa aegra remoti. Quodſi vero aliquo die excretio thermarum per aluum felicius obtingeret, ſudor non ſolum parcior erat, ſed aegra quoque melius valebat, et cupiditate cibi gaudebat. Addere iusſi conſuetarum thermarum quantitati ſalis amari Bohemici ſemi vnciam, vnde ante prandium aluus quinquies aperiebatur, imminuto multum ſudoris profluuio. Tandem inſedit molaribus, ad ſenſum aegrae refrigeratis, quibus tormina oriebantur, aluusque ſuccedebat. Abuſum pilularum balſamicarum non ſolum aluum ſuppreſſam reddere, ſed aeſtum quoque ſudoresque efficere noxios, extra

omnem

omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Obſeruaui quoque in iis, qui regimine nimis calido delectantur, ſaepisſime laxantia mitiora aeſtum et ſudores excitare, aluo manente ſuppreſſa. Noſtri ſeculi mos eſt, plurimum tribuere in medendo iis remediis, quae humores diluunt et reſoluunt, parumque curare incraſſantia et conſtipantia, quae in nimia reſolutione omnem abſoluunt paginam. In noſtra certe aegra fluidum, quod inteſtinorum canalem humectare ſolet, ad cutis poros adfluens alui ſuppresſioni anſam dabat. Frigidiora ergo ſenſim balnea ad mentem Illuſtr. BOERHAVII *in libro de viribus medicamentorum* p. m. 247 vtilia fuere, et vltimum balneum conſilii ſucceſſum comprobare videtur.

Obſeruatio XXVIII.

Tabes, hectica et phthiſis pulmonalis *.

In viro annorum triginta erat ſumma macies et ſiccus corporis habitus, frequens tusſis quoque et pituitae flauae exſcreatio, quae nunquam

D

* Nullus eſt morbus, qui vſum Carolinarum thermarum magis ſuſpectum reddit ſemper, quam quidem phthiſis. Si verum eſt, ex labe viſcerum vel vlcere interno locum non habere hauſtum thermarum, facile conceditur, licet vna tantum vice ſubito funeſtum viderim eundem. Quum vero ſaepius ex minus rite facta diagnoſi morbi, aegri dicantur hectici, qui ſana habent viſcera, multi diſſuadent auxilium ex thermis, quod ſalutare ipſis eſſet, ſi confidentius idem adhiberent.

quam tamen cruentum quid ſecum ferebat. Porro corpus non alebatur, tibiae erant intortae, difficilis reſpiratio, pulſus frequens, durus et tenſus, cita interdum aluus, difficilis in latere ſiniſtro decubitus, ſudorque nocturnus frigidus, et plura phthiſin indicantia ſigna, quae Carolinarum vſum ſuſpectum reddebant. Venam ſecari iuſſi, dedique laxans ex tamarindis, polypodio, foliis ſennae, et cryſtallis tartari, quod crebram alui deiectionem moliebatur. Deinde ſuaſi acidulas Buchenſes, quae vno milliari a Carolinis diſtant, et in tractu fagis nemoroſo proſiliunt. Hae primo die aluum non ciebant, valide tamen vrinam mouebant, inſequentibus diebus aluus mane ordinaria, vrinae fluxio copioſa ſemper, omnibus, quae grauabant, leuioribus. Decimo die cum tormina alias conſueta abſque alui lubricitate inciderent, dedi rhabarbarinam medicinam, cum ſale thermarum, in parca et repetita doſi, vnde torminoſi doloris remisſio et crebra per aluum euacuatio. Die duodecimo iterum ſuaſi acidulas Buchenſes, et poſtea tria pocula ex furioſo ſic dicto fonte haurienda; quo conſilio aluus facta eſt laxa abſque virium defectione, et cum aegri leuamine. Ergo doſin augeri iuſſi, et hoc modo omnis phthiſeos ſuſpicio euaneſcebat, tuſſi et ſputo remittentibus.

Generoſa virgo, annum quadrageſimum transgreſſa, querebatur de dolore in hypochondrio ſiniſtro, quem eſus flatulentorum exacerbabat. Aderat ſimul ſumma ſanguinis acrimonia, ex qua ſaepius in auribus et oculis, maxime partibus ſuperioribus, inflammationes, ſeroſae, excoriationes

nes, ſeu deſtrigmenta, oriebantur, omneque corpus ex potus humectantis defectu ſiccum reddebatur. Aeſtus vagus, calor depaſcens nocturnus, ſomnus inquietus, ſudor in vola manus, adpetentia varia, aluus inordinata et ſicca, laſſitudo poſt ſomnum, et difficilis in adſcendendo reſpiratio, hecticam indicare videbantur. Interim nulla tuſſis, nullum vnquam ſputum fuerat ſuſpectum vel cruentum. Pediluuia ex aqua fontana et cineribus clauellatis, per quartam anni partem continuata, qualecunque leuamen adtulerant; veſicantia vero adplicata nullas excitarunt veſicas. Dubii euentus, immo ſuſpectus mihi erat thermarum vſus. Interim conceſsi, aegrae optimae precibus motus, vncias ſex vel octo, lacte mixtas mane haurire. Sed cum calor depaſcens inde augeretur, pulſusque admodum febrilis et celer inſurgeret, regio in hypochondrio ſiniſtro adfecta tumeret, et caleret, ſuſpicionemque apoſtematis latentis faceret, abſtinere iuſſi, laxans antiphlogiſton exhibens, quod tarde ſatis aluum mouebat, et ſymptomata mitigabat. Dedi contra conſilium, vt primo hauriret aquas medicatas Selterenſes ſolas, deinde lacte mixtas, balneo ex aqua dulci ſaepius inſideret, tepido tamen, victuque vteretur ex vegetabilibus, et ab omnibus, quae exaeſtuant et exſiccant, abſtineret. Redibat anno inſequenti tempore verno aegra multum leuata, diaetaque tenui carneque carente admodum contenta, vitamque ſatis fragilem conſeruans, indies tamen vtcunque viuebat *.

* Poſtea vero, quam vitae genus mutaret, inque aula viueret, omnis phthiſis ſuſpicio diſparebat, vt aegra etiamnum

Generoſa vidua, annorum quinquaginta, ſtrumam geſtabat ingentem, quae aſperam premebat arteriam, vnde reſpiratio difficilis et cum ſtrepitu inſigni, et interdum prorſus ſuppreſſa, reiectio non raro pituitoſae materiae, cum tuſſi. Aliquoties fuerat ſputum cruentum et purulentum, id quod ante decem annos in ipſo vſu thermarum Carolinarum quoque accidebat. Quum enim binis ſubinde vicibus ſeu per quatuordecim dies illas ex furioſo fonte thermas cum optimo ſucceſſu potaret, finito menſium fluxu, qui inciderat, ſumtis pilulis laxantibus, noctu ex improuiſo ſanguinis et puris exſpuit ingentem copiam. Nihilominus ſalutariter deinde bibit illas thermas, ad molam bullientes, non obſtante ſuſpicione vomicarum in pulmone, et periculoſae in eodem obſtructionis. Corpus interim erat ſatis craſſum, adpetentia cibi optima, ſomnusque reficiens. Septem abhinc annis repetit aegra vſum thermarum, ſumtoque laxante ſalino, molares haurire incipit, quae quidem optime excernebantur, oculorum tamen dolorem ex ſero acri adfluente, ſtrepitumque in pectore grauiorem aeſtumque vagum veſperi ſuſcitabant: quae tamen ſymptomata potius catarrhales adfectiones ex itinere et frigida temperie ortas dicere luberet, ſiquidem cum continuato thermarum hauſtu, ſudoreque copioſe profluente remittebant. Fluebant ſexto

etiamnum ſana et obeſa ſuperſtes, meam prognoſin falſam fuiſſe, abunde teſtatur: id quod multis aliis comprobare poſſem exemplis, quae me audaciorem paullo non fefellerunt, licet aegri aeque ac medici timidi admodum in vtramque partem circa vſum thermarum vacillarent.

ſexto die haemorrhoides, cruorque modo fruſtulatim, modo rutilans et floridus, cinnabarinique coloris emanabat. Fluxus continuabat per octo dies, modo remisſior, modo auctior, et tertio die nares quoque ſtillabant ſanguinem. Pulſus interdum erat fortis et celer, virium languor, ſpontanea diarrhoea, dolorque in regione epigaſtrica, et ex flatibus intumeſcentia. Cum nono die remiſiſſet cruoris excretio, ſalutari effectu deinde molarium vſum continuabat, et anno inſequente eundem repetebat, nulla tamen in ſtruma mutatione, magno vero in reſpirationis negotio leuamine. Sputum interim nullum reliquit dubium, pulmonem obſtructione et exulceratione male adfectum fuiſſe. Aegra deinceps tribus vicibus non ſolum noſtras thermas, in labe viſceris adeo ſuſpectas, hauſit, ſed quinque poſt annos ſuperſtes gaudebat de virtute thermarum, glandulis pituita tenaci repletis medendi, admodum egregia.

Vir quinquagenarius, omnia expertus, quae corpus debilitare et vires deſtruere valent, curru vectus, vehementer concuſſerat corpus, praecipue autem pectus laeſerat grauiter, adeo, vt vitae eſſet pertaeſus. Nihilominus labem in pulmone eſſe, gnauiter negans, Carolinarum potationem obſtinate vrgebat. Erat vero in illo malus corporis habitus, tuſſis moleſta, ſputum album, ſudor nocturnus, difficilis reſpiratio, pulſus magnus et celerrimus, laſſitudo inprimis pedum ſpontanea. Conſummatam ergo pulmonis exulcerationem adeſſe, et in itinere ex concusſione forte dilacerationem, puriſque in thoracem effuſionem factam fuiſſe

adfirmans, Carolinarum potationem prorſus diſſuaſi. Aeger tamen nullum ſentiens dolorem, agilisque, potionem ex manna ſumebat, quae absque moleſtia aluum ciebat. Secunda die hauriebat thermarum ad molam bullientium libras tres, vnde difficilis mox reſpiratio, motus febriles, debilitasque maior. Quum poſt meridiem haec omnia remitterent, aegerque omnes actiones exercere valeret cum facilitate, ſiniſtram, vti ipſe falſo putabat, meam praedictionem ridebat, morbum catarrhalem adfectionem eſſe exiſtimans. Pulſus tamen admodum celer, et ita magnus, vt arteriae elevatio omnem fidem excederet, meam ſententiam ſerio confirmabat, hauſtum thermarum periculo pleniſſimum eſſe. Tertio poſt die ex libris quatuor earundem thermarum recurrebant omnia modo dicta ſymptomata, quibus accedebat tuſſis et eiectio puris virideſcentis, ea quantitate, vt intra viginti et quatuor horas, decem libras ſuperaret illud, eratque acrimonia tanta, vt aſſulis, quibus conclaue ſtratum erat, maculas nulla ratione detergendas imprimeret. Ad haec aluus et vrina fluebant copioſisſime, non ſentiente aegro. Magna ſpirandi difficultas, pectus quaſi vinculo quodam adſtrictum adtollebatur, metus ſuffocationis ex refrigeratione nocturna augebatur, magnusque in pectoris latere dextro ſtrepitus et rhonchus. Ex requie in lecto, die quarto, lactis hauſtu frequenti medicinaque temperante omnia haec mala reddebantur mitiora, manente tantummodo ſputo copioſo. Sexto tamen die hoc parcius fiebat, tuſſis porro rarior, reſpiratio difficillima, ſopor, conuulſio, amentia et octauo mors.

Seruus

Seruus annorum triginta, et quod excedit, natus, aetatis anno vigeſimo quarto, ex violenta corporis tenſione vaſculi ſanguinei diſruptionem paſſus fuerat, quam indicabat anxia pectoris oppletio, aeſtus, tusſis, et ſputum tandem cruentum, ex vehementi corporis motu rediens, ſumma virium defectio, pedumque laſſitudo, adpetentia varia, modo aucta, modo imminuta, acutus ex adſumtis, in regione epigaſtrica, dolor, difficilis reſpiratio, cephalalgia, aeſtus vagus, inprimis poſt epulas, ſitis, idque matutino etiam tempore. In itinere melius ſemper ſeſe habebat. Poſt venae ſectionem omnia erant peiora, ſiquidem et medicina, quae aluum laxat, nocebat, et ventriculum debilitabat. Noſtrarum thermarum potationem ſeptem abhinc annis non ferebat, quam, nempe capitis dolor, pectoris anguſtia, inſomnia grauia, ſomnus non reficiens, ſequebantur. Inſidebat tamen balneo ex molaribus thermis, quo facto, optime ſeſe habebat. Anno inſequente thermarum potum altera vice experiri volebat. Sed quum omnia inſequerentur ſymptomata, quae alias in phthiſicis obſeruantur, abſtinere merito iusſi. Interim facile patet, infirmatum ſimul ex calore ventriculum, multaque ſequuta fuiſſe mala ex motis per thermas cruditatibus, quae quidem in aliis, de phthiſi non ſuſpectis, animaduerti.

Obſeruatio XXIX.

Lichenes.

Adoleſcens, cuius manus lichenes foedabant, et qui antea fruſtra ſalinae fluxum per mercurium expertus fuerat, adibat Carolinos fontes decem abhinc annis, et vt promtius thermae ſanguinis maſſam penetrarent, quouis mane, vltra libras duodecim earundem hauriebat, manuumque lotionem ex iisdem adhibebat, quo facto, lichenes in manibus quidem euaneſcebant, in corpore contra et facie in conſpectum veniebant. Deinde ſub continuato hauſtu thermarum maculae cutaneae modo abibant, modo redibant. Licet igitur ſatis protracta curatio adhibita fuiſſet, vti neceſſitas in omni ſanguinis impuritate requirit, adeo, vt tribus vicibus, interpoſitis laxantibus, mercurialibus per dies viginti ſex magna copia hauſiſſet thermas, terque balneo inſideret; nihilominus tamen nulla ſpes adfulgebat, morbum omnino ſanari poſſe. Mihi etiam perſuaſum erat, vix profuturum eſſe aegro, ſi omne malum vna vice depelleretur, quum morbus eſſet haereditarius, matre eodem adflictata, et ipſo aegro a cunabulis eodem laborante, adeoque maxume naturalem factam fuiſſe excretionem.

Obſeruatio XXX.

Vrinae retentio.

Vir gracilis, vitam ſedentariam agere coactus, induſtrius, et ſemper regimen calidum obſeruans, ex vſu pilularum purgantium paene con-

conſumitur, et a catarrhis, quibus antea ſaepius obnoxius erat ad tempus, liber euadebat, variis tamen ſubſequentibus malis, quae a turbato tranſpirationis negotio oriri ſolent, ad quae ſananda primum Selteranis, deinde Carolinis medicatis aquis vſus fuit, quarum poſteriores primum iuxta molam proſilientes, aluum extra modum purgant, nullumque creant incommodum. Imbibit deinde illas feruidiſſimas ex primario fonte, quae quidem parcius aluum laxant, vrinaeque difficultatem, immo per duas horas retentionem inducunt continuam, cum dolore in lumbis ad inguina progrediente. Tandem multum vrinae prorumpit, ſimulque magna pituitae copia. Nulla aderant calculum indicantia ſigna, nullum in vrina ſedimentum rubrum, nullaque fuerat ante vſum thermarum vrinae difficultas. Videbatur ergo ſtudium nimium, noſtro aeuo adeo conſuetum, diaphoreticum, in corpore exſiccato induxiſſe penuriam ſeri diluentis, et in renibus et veſica vrinaria pituitae craſſae abundantiam, quae thermis mota mole ſua vrinarium meatum clauſit. Sub continuato deinde thermarum potu, vrina difficulter et magno cum dolore reddebatur, ſedimentumque craſſum loturae carnis ſimili liquido, imo cruore ipſo perfundebatur. Conualeſcebat tamen aeger, et alacrior multum factus, ab omni morbo circa vias vrinarias liber viuit.

Obſeruatio XXXI.

Lues venerea.

Iuuenis ſanguineus quum fluxu per vrethram ſanioſo, et deinde bubonibus venereis breui antea laboraſſet, nondum a fluxu dicto ſanatus, vlcere palati, aeſtu vago, laſſitudine, fluxionibus catarrhoſis diuexatus, adibat thermas Carolinas. Dedi pilulas ex extracto panchymagogo Crollii et mercurio dulci, ſuaſique eas thermas iuxta molam ebullientes, quae omnes excretiones non ſine leuamine aegri feliciter augebant, ſudoremque magis in capite, quam reliquis corporis partibus, mouebant. Deinde citrinae cum ſedimento farinaceo vrinae inprimis excretio, in dies copioſior, immo copioſiſſima fiebat, multum pituitae craſſae per aluum eiiciebatur, quae interdum vſtionis ſenſum excitabat. Vlcus in faucibus ſub hauſtu illarum ex furioſo fonte conſolidabatur, balnea ſudores frequentes eliciebant, purgantia fortiora interpoſita conducebant, licet quandam inducerent debilitatem. Aeger macrior quidem, ſanus tamen et laetus abibat, et anno inſequente ab omni venereo malo liber, vſum thermarum repetebat.

Ruſticus annorum viginti quatuor natus, decimo aetatis et ſeptimo anno ex gonorrhoea inhibita teſticulum habebat venereum, interdum vlcera faucium cancroſa, ante mictionem materiae purulentae excretionem, et, ea finita, dolorem in vrethrae parte poſteriore prementem, et ſenſum quaſi remanentis fluidi artuumque laſſitudinem, circa partes genitales pruritum, leuemque in coſtis ſpuriis dolorem

ſub

ſub reſpiratione, ex pleuritide, qua ante ſeptem hebdomadas laborauerat, ſentiebat. Varia et inepta adhibuerat medicamina, et tandem ſaliuationem mercurialem, absque tamen exoptato effectu. Adibat quinque abhinc annis fontes noſtros ſalutares, et hauriebat thermas ex primario fonte absque vllo incommodo, vel mutatione in partibus adfectis, excepto, quod teſtis tumens paullo dolere inciperet.

Obſeruatio XXXII.

Gonorrhoea.

Adoleſcens, quem fluxus gonorrhaicus et vrinae ardor diu excruciabat, abſque vlla moleſtia ſeptem dies noſtris thermis vtebatur, aucta cibi cupiditate. Octauo die aluum purgante medicina ſolicitabat, et nono balneo ex thermis ad molam bullientibus inſidebat. Quum inde ſe leuatum ſentiret et alacriorem factum, id, ipſo renitente licet medico, eodem die repetebat. Hinc noctu inſequente accidit refrigeratio, deinde aeſtus, capitis dolor, nauſea, ſumma virium infractio, ſudor colliquatiuus, lancinans et ardens, in regione lumborum et vrethra ſenſus, puris aeque ac cruoris excretio per eandem multa, quae vel leui preſſione, vel ſponte de die quoque ſuccedebat. Medicus ad compeſcendos febriles motus, die altero recurrentes, emulſionem dedit, quae tamen minus aegri voto reſpondebat. Suo ergo vtens conſilio, praeterlapſis aliquot diebus intercalaribus, licet febre adhuc ſaeuiente, per quinque

quinque dierum ſpatium thermarum potationem continuabat, et ſexto die purgante medicina aluum tantopere mouebat, vt paene conſumeretur. Interim, licet nullis diaetae regulis ſe obligaret, tamen ex vſu balſami de Mecha, portionem illius in dies auctiorem ſumendo, materia gonorrhaica continuo emanabat, febrisque ceſſabat.

Seruus annorum triginta ſex, cibi faſtidio, nauſea, gonorrhoea, frequenti mingendi conatu, mictione tamen difficili et dolente laborabat. Nauſea ex hauſtu Carolinarum ceſſabat, gonorrhoea manebat eadem.

Alius, ſanguineus, ſpeciem integrae valetudinis prae ſe ferens, difficili reſpiratione, cibi faſtidio, ex adſumtis nauſea et repletionis ſenſu, laſſitudine ſpontanea et per duos annos gonorrhoea adfligebatur. Hauriebat thermas noſtras absque vlla moleſtia, magnoque aegritudinis leuamine, ſi excipias gonorrhoeam, quae neque atrocior neque mitior fiebat.

Iuuenis gonorrhoea diu laborauerat, ex qua, accedente morbo digeſtionis laeſae, corporis ingruebat languor et conſumtio. Adibat quatuor abhinc annis fontes noſtros ſalutares, et inter thermarum potationem bubones in vtroque inguine oriebantur, qui ſponte absque vllo externo medicamento aperti fiebant, nec minus conſolidabantur, gonorrhoeae ſanatione facta. Aeger tamen deinde ex intemperantis forte et incontinentis vitae ratione ſemper faciem habebat cachecticam.

Obſer-

Obſeruatio XXXIII.
Cardialgia.

Generoſa vidua, annorum quinquaginta ſeptem, temperamenti bilioſi, chronica laborabat cardialgia, quam ſaepius vomitus, dolor capitis intenſiſſimus, veſperi maxume infeſtans comitabatur. Quum aliquoties vſu thermarum hae adfecticnes morboſae leuatae fuiſſent vſu thermarum aegra optima cogebatur ad hos fontes ſalutares iterum confugere. Dolor capitis poſt epulas ſemper recurrebat acerbiſſimus, adeo, vt oculi obfuſcarentur, partes dolentes et brachium ſiniſtrum tumerent et dolerent. Primis diebus inſurgebant tormina, nauſea, diarrhoea et rheumatici dolores, quae tamen omnia ex hauſtu thermarum remittebant ſymptomata, ſubſequente larga excretione aluina. Adfligebant illam tamen poſtea agrypnia, ſapor alcalinus, ouorum putrefactorum inſtar, aeſtus vehemens ventriculi, et ſitis. Suaſi ergo, ad mitigandam acrimoniam bilioſam, antequam cubitum iret, decoctum ceraſorum acidorum, quo ſomnus quietior factus eſt et ſitis remiſſior. Interpoſui deinde laxans ex tamarindis, cremore tartari, rhabarbaro et manna, quod primum vomitum pituitoſum et bilioſum, deinde quinquies aluum mouebat absque vllo incommodo, licetque veſperi ſpontaneo vomitu reiiceret adſumta et pituitam, id quod extra vſum thermarum ſaepius accidere ſolebat, optime tamen inde ſeſe habebat, thermae bene excernebantur, cibique cupiditas in dies augebatur. Perſpicuum eſt, in hac aegra deprauatam fuiſſe concoctionem, ventriculumque repletum ſaburra

burra

burra biliosa, quam ſaepius thermae valide et repente mouent, ardorem, ſaporemque putridum, aeſtum, nauſeam et vomitus bilioſos excitant. Experientia me docuit, quantum diaetae ſimplicitas, genii ſui defraudatio, abſtinentia a potu Caffee et ſaccharo in hoc caſu valeant. Qui hoc modo aegrotant, variis medicinis diutius fracti, animi adfectionibus frequenter excruciantur, inprimis ad iram procliues, raro ad epulas accedunt, quin ira tumeant, vel potius conſuetudine, quam fame adacti, comedunt. Quae concoctio tum ſperanda? diutinus et ſaepe repetitus vſus thermarum requiritur, et exquiſitum in eſculentis ſumendis regimen, magnumque ſtudium ad animi tranquillitatem obtinendam eſt adhibendum, alias mox nouae cruditates bilioſae oriuntur, quae omnia adſumta in ſtomacho inficiunt et corrumpunt, nouosque cient tumultus.

Obſeruatio XXXIV.

Oculorum vitia.

Vir maior annis quadraginta, corporis habitus laxioris, qui vitam actuoſam mutauerat cum otioſa, vernali tempore corpore minus, quam hieme fieri ſolebat, contra frigus munito, momento, lumbari regioni ſentiebat quaſi glaciei fruſtum adplicatum. Nephritis quoque ſubeſſe videbatur, quum interdum vrina retineretur, atque ex ſanguinis motu fortiori ſabulum excerneretur. Haemorrhoides quoque rite fluebant. Dolor erat inſuper vehemens, in

in vtroque oculo, ex nimia oculorum aciei intenſione et continuata, acerbior, nebulaque quaſi ante dextrum oculum verſabatur, quae oculorum adfectio 1739 ex vſu thermarum noſtrarum ſanabatur, haemorrhoidum fluxu non redeunte. Repetebat aeger poſt quatuor annos thermarum hauſtum et aliquoties inſignem virium defectionem, oculorumque dolorem ſentiebat, inprimis adſidua lectione, et quum ex balneo earum thermarum, quae iuxta molam bulliunt, oculorum vitium adauctum ſentiret, vſu externo deſiſtere iuſſi.

Vir annos ſexaginta et duos natus, lue venerea laborauerat, cuius ex ſaliuae fluxu per mercurium viſus orbitatem omnem ſanant thermae Carolinae intra ſex hebdomadas.

Femina iuuenis, cachexia laborans acri, gracilis admodum, ſcabioſa, voluptuoſa, parumque habens ſanguinis nutrientis, haurit thermas Carolinas, ex quo tempore oculorum hebetudo et dolor ex ſtudio acutum cernendi, et continuato, interdum ex improuiſo, quaſi nebula nigra oculis obuerſabatur. Concedo in hac qualemcunque anſam dediſſe vſum thermarum imminutae oculorum aciei; ſed multae aliae quoque accedebant cauſſae, corpus debilitantes et acrimoniam augentes, quibus oculorum acies infringebatur. Scio quidem, multos thermas noſtras accuſare in hoc caſu; ſed pluries ego obſeruaui, in iis tantum offenſos fuiſſe oculos, qui acie eorundem debilitata inter vſum thermarum aliquid contueri ſolebant, eoſdemque legendo exercebant. Noui amicum, qui aſſidua

aſſidua lectione, durante thermarum potatione, oculos valde defatigabat, et ab eo tempore ſaepius ophthalmia adfligebatur, inprimis quum diu et accurate res diſcernenda eſſet.

Femina triginta annorum, in qua magna corporis ſiccitas et ſeroſae lymphae acrimonia erat, ophthalmia chronica et forte venerea laborabat. Hauſtis per ſeptem dies thermis, iuxta molam ſcaturientibus, exhibui pilulas laxantes, mercurio dulci addito, viribus auctas, ex quibus nauſea, vomitus et ſputum cruentum ſequebantur, quod tamen mox remittebat. Die inſequente, me tamen non iubente, prohibente potius, balneum ex thermis ingrediebatur, et deinde thermarum potationem continuabat, inde oculi inflammatio ingraueſcebat, ſerique adfluentis roſio cooriebatur, quam demulcentium lactisque vſus externus quidem leuabat, tamen aeque ac thermarum non ſanabat.

Puella annorum octodecim, corporis habitus maxume laxi, varia, ſed fruſtra, adhibuerat medicamenta, a medico docto per aliquot annos ſuppeditata, ob ophthalmiam chronicam ſeroſam. Tandem adibat noſtros fontes ſalutares, quorum vſus binis annis adhibitus, omnem morbum ſanabat, eaque conſtantia, vt deinde non rediret, licet furore quodam aliquoties incenderetur nupta, et ſaepies catarrhoſis fluxionibus obnoxia eſſet.

Monachus iam ſenectute prouectus, inſigni corporis robore gaudens, offendebatur hemicrania et graui ophthalmia ſeroſa, qua non ſolum

ſolum viſus oculorum obtundebatur, ſed oculi quoque pannum rubrum referebant. Hauriebat anno 1744 feruidiſſimas thermas cum interpoſitis laxantibus antiphlogiſtis, et ophthalmia ceſſabat. Anno inſequente quum vſum thermarum repeteret ad hemicraniam depellendam, nullis laxantibus in auxilium vocatis, abdominis tenſiones naſcebantur, nulla morbi remiſſione ſubſequuta.

Puella annorum viginti, decimo aetatis anno laborabat variolis copioſis, et duodecimo infeſtabatur ophthalmia ſeroſa grauiſſima, qua oculi vndiquaque rubebant. Ex hauſtu thermarum furioſi fontis et interpoſitis laxantibus mannatis, quae ad ſananda mala ex variolis reliqua, inprimis prodeſſe creduntur, ſani fiebant oculi, nulloque deinde adfligebatur vitio eorum, niſi hoc vno leuiore, quod in talibus aegris ſemper obſeruaui, quo ex conſuetudine defigere ſolent ad terram oculos, quod ignari pudicitiae indicium interdum interpretantur.

Puella octodecim annos nata et ſanguinea, menſium fluxum experiebatur nimis parcum, ex quo non ſolum oculi rubebant, ſed manus quoque tumebant. Vtebatur thermis noſtris nouem abhinc annis, et licet parum leuata domum rediret, tamen inſequente anno non ſolum menſes copioſius fluebant, ſed oculorum rubor quoque euaneſcebat. Repetiit quoque cum fructu eodem anno thermarum vſum externum aeque ac internum.

Adoleſcens annorum octodecim ſtudiis operam nauans, paullo tenerioris corporis ha-

bitus et mollioris, habuerat ſuperiori anno in tibia vlcus, quo conſolidato, ophthalmia ſequebatur ſeroſa, ab omni potu exaeſtuante exacerbata. Quum inſignis apud ipſum eſſet nauſea ad omnia medicamenta, dedi tandem, antequam cubitum iret, ſalis amari ſemiunciam, et primo mane diei inſequentis iuſſi haurire, quae ad molam bulliunt, thermas, quas mox vomitu reiiciebat. Subſtitui ergo, quae ex furioſo fonte prorumpunt, et res bene ſuccedebat. Sexto die proueniebant ſcabioſa exanthemata, leuisque ſuboriebatur in tibia dolor, vbi vlcus olim fuerat. Die decimo quinto oculi paullulum rubebant, inprimis palpebrae, minus tamen decimo ſexto, quo exhibui pulverem rhabarbarinum cum temperante, et poſt bibendo thermas, ſed nimis celeriter, ſequebatur primum vomitus pituitoſus, deinde aquoſus, cum quadam virium defectione. Aeger quidem nondum ſanatus abibat, inſequente tamen anno rediens, de ſanitate recuperata gaudebat, vſumque thermarum magna cum vtilitate repetebat.

Adoleſcens quindecim annorum ex chemoſi habebat maculam albam, in cornea oculi ſiniſtri tranſparente, vaſaque ſanguine turgentia tria ex eodem in angulo interno coeuntia. Quum varia medicamina diu fruſtra adhibita fuiſſent, conſilium tandem dedi, vt Carolinas adhiberet thermas, a quo, ad eaſdem perquam moleſto itinere, ex ſolis ſcilicet ardentiſſimo aeſtu et ſabulo minimo, quod aer mouebat, grauis oriebatur ophthalmia, qua palpebrae inprimis tumebant, ſerumque acre et arenulae adhuc inhaerentes illos offendebant. Fomentatio

tio ex lacte calido ſola ſufficiebat, vt breui haec inflammatio ceſſaret. Fiebat deinde ex hauſtu thermarum primis diebus, albugo magis tranſparens, vaſaque ſanguifera palleſcebant; id quod pomeridianis horis, minus tamen matutinis, quibus vaſa turgebant, ſemper obſeruabatur, aegerque potui Caffee potius, quam thermis tribuebat. Effluxus deinde materiae purulentae ex aure dextra auditusque grauis erat. Laxans ex ialappae radice nauſeam, refrigerationem, pulſum tardum et magnum, albuginem vix conſpicuam veſperi efficiebat, et copioſiſſime aluum ciebat adeo, vt inſequente die magna thermarum copia parum eandem moueret, circaque meridiem in momento oculus laeſus caleret, totaque albuginea fieret rubra, quae tamen ſubitanea mutatio mihi atrox et terribilis viſa breui durabat tempore. Cauſſam huius rei iudicaui magnam, ex laxante, vaſorum exinanitionem, et celerem ex largiori thermarum hauſtu repletionem. Patet vero etiam per hanc experientiam veritas, purgationem, quae nimis valentibus medicinis fit, in oculorum morbis inſignis eſſe efficaciae, facta tamen magna euacuatione omnino prouidam vaſorum conſtrictionem indicare. Caeterum continuata thermarum potatio oculi vitium, quum multum imminueret quidem, plenarie vero non ſanaret, ſuaſi domi diaetam diluentem et refrigerantem, venaeſectionem in pede, ſolutionem lapidis diuini Saintyues, quae dolorem quidem excitabat, aegrum tamen aegritudine multum leuabat.

Iuuenis eruditus, annos viginti tres natus, ſuffuſione, quae nihil vnquam concreſcentis

materiae intuentibus exhibet, ſed penitus ſerena eſt, laborabat. Sanguis erat corruptus, fauces exulceratae, motus ſaepius conuulſiui, potiſſimum in facie, vehemens oculos vexabat inflammatio, cum puſtulis coniunctiuam obſidentibus. Nullus ex variis medicaminibus per duos annos fructus. Frigidae adplicatio aciem magis hebetem reddebat, aeque ac camphorae ſolutio. Non raro delabentis ponderis ſenſatione, in regione frontis oculis caligo offendebatur. Aeger obiecta diſtinguere valebat, ſed oculis ſemper quatuor puncta nigra obuerſari, et lucernam intuentibus cingere eam tanquam circulus quidem obſcurior videbatur. Quo remotior eadem, eo maior orbis, et pupilla praeter morem contracta erat. Semper circa frontem regio algebat, etiam perfluente ſudore, oculique intus dolebant. In ſinubus ſic dictis frontalibus et naſo dolor premens, vlcuſculumque narium internam partem obſidens pus copioſe fundebat. Carolinae thermae primis diebus perquam moleſtam vrinae excretionem, ſtringentem in capite ſenſum in oculis reſolutorium, denique copioſum ſaliuae fluxum excitabant. Morbum eſſe venereum, vel grauedine ortum, amauroſin et incipientem in retina obſtructionem mecum reputans, dubiam certe de recuperanda ſanitate feci praedictionem. Aeger quoque aegritudine non leuatus, fontes Carolinos relinquebat, praeterlapſis autem aliquot annis, eoſdem ſanus iterum adibat.

Obſer-

Obſeruatio XXXV.
Abſceſſus.

Illuſtriſſima femina obiit 1739 in thermis Carolinis, quum duos conſuetos potationis circuitus ſeptem dierum iam abſoluiſſet. Inueniunt, qui cadauer ſecant, glandulas in meſenterio induratas, inde factum abſceſſum conſtabat, qui, diſrupta membrana cingente, pus in abdominis cauum effuderat, et inteſtina coaluerant peritonaeo adnata.

Vir quinquagenarius, ex haemorrhoidum moliminibus et obſtructione in ſyſtemate venae portae, calore hectico, morbo ex alcalino ſpontaneo, bilis inertia, teneſmo et laſſitudine ſumma ſpontanea excruciabatur. Carolinae thermae quidem optime aluum laxam reddebant, excrementa tamen erant coloris cinerei, dolor rodens in ano, omnia excreta putridi foetoris, teneſmusque adeo grauis, vt aegrum paene conficeret, qui ad dolorem mitigandum omnia eſculenta ſolida abhorrebat. Sub continuato thermarum potu excreta aluina erant oliuarum colore tincta, tumor in ano doloris expers ſanguinemque facile ſtillans ſentiebatur, calore febrili in dies aucto. Tandem abſceſſus in ano apertus materiam purulentam fundebat, magno aegri leuamine, qui de hoc effectu admodum laetabatur, inprimis quum excrementa flauae bilis ſtatum meliorem confirmarent.

(o)

Obſer-

Obſeruatio XXXVI.

Cibi faſtidium.

Adoleſcens ex variis in diaeta erroribus, inprimis largiori vini Hungarici vſu, in prima iuuentute, ventre ſuppreſſo, matutino vomendi conatu cibi faſtidio infirmoque ex calore et pituita repleto ventriculo adflictabatur. Licet per decem dies thermas noſtras hauſiſſet, per equitationem moueret corpus, excretionesque omnes ex voto ſuccederent, cibi faſtidium tamen idem manebat. Dedi ergo vndecimo die puluerem ialappae in vino, qui absque vlla moleſtia largiſſime aluum deiiciebat, magnam pituitae tenaciſſimae et vitreae copiam euacuabat, inſigni aegri leuamine, qui deinde optime cibi adpetens, in dies ſub continuata thermarum potatione animo et corpore alacrior reddebatur.

Seruo cuidam adoleſcenti, aduſto vini ſpiritu abutenti, infirmus erat ex calore ventriculus, et cibi faſtidium. Dedi laxans, quod copioſe aluum mouebat, et licet petulans indomitusque aeger, nullis diaetae legibus inter thermarum potationem ſe obligaret, ſubque finem purgatorio medicamento, quod vltra quinquaginta ſedes excitabat, paene conſumeretur, tamen ſaniſſimus abibat.

Obſeruatio XXXVII.

Paſſio hyſterica falſo ſic dicta.

Generoſa femina, annorum quinquaginta, nouem liberorum mater, ſanguine turgens, perfectae ſanitatis ſpeciem prae ſe ferens, poſt vltimum partum, nouem annos non menſtruata, varias experiebatur aegritudines, et eas inprimis, quas medici ſanguinis congeſtiones cognominare ſolent. Multae et ineptae ſanandi methodi, peruerſaque paſſionis hyſtericae imaginatio, regimenque imprimis calidum,

inde

inde frequens ſudoris profuſio morbum fecerant ita perplexum, vt vel acutiſſimus medicus eum dignoſcere vix valuiſſet. Anxia inſimul de conſumtione hectica aegra, et more hyſtericarum, vulgo ſic dictarum, ſymptomata peſſima ſemper, et apoplexiam letalem ominans, excretiones et omnes motus naturales et ſalutares infringebat. Quum 1746 accederet ad fontes ſalutares Carolinos, tribus vicibus, eodem anno, iam vena ſecta fuerat, absque vllo levamine. Ergo a mittendo ſanguine in hoc certe ambiguo caſu maxime alienus, cruoris euacuationem, quam valde adpetebat aegra ſemper timida et ex infimo pectore anhelans, diſſuaſi, et purgationem, quae ſalino fit medicamento, dedi. Sed inuiſens aegram, inueni de medicina aluum non mouente querentem, veſtibus ac pellibus, non ſecus ac rigidiſſimo ſaeuiente frigore, munitam, ad fornacem calefactam ſedentem, camerae incluſam, ſudore diffluentem, ſummeque anxiam. Alui ſuppreſſae et multarum morboſarum adfectionum cauſſam hac occaſione didici, quum aegra in hoc regimine, ſemper neſcio quod commodum ſibi fingeret. Feneſtras ergo aperui, feruente ſummo ſolis aeſtu, pelles ſeponi, omniaque remoueri, quae ſudorem elicere poſſint, iuſſi. Hoc modo aluus optime ſuccedebat, magno aegrae leuamine, licet catarrhus alias ſatis frequens, ſequeretur, qui tamen tertio die ex thermarum potatione prorſus ceſſabat. Corpus non aeſtuabat febriliter, et excretiones per veſicam vrinariam, et aluum optimo ſucceſſu ſequebantur. Quinto die dolor ſub hypochondrio ſiniſtro lienis vitium indicare videbatur. Aegra tamen inter epulas, pancratice viuens, poſt meridiem peſſime ſeſe habebat, et maiorem in modum meticuloſa abitum meditabatur, modoque algebat, modo calebat. Septimo cum omnia eſſent leniora, dedi pilulas ex ſcammonio, reſina ialappae, mercurio dulci, et gummi ammoniaco compoſitas, quae absque vllo incommodo aluum largiſſime euacuabant, et aegram multum leuabant. Decimo vero, cum gulae nimium indulſiſſet, veſperi, cru-

ſtula

ſtula farinacea et pinguia admodum intemperanter deuorabat, quae cruditatis ſenſum, cardialgiam atrocem, vel potius acerbum in regione pylori dolorem, ad caput eiuſdem lateris adſcendentem, tranſitoriam linguae paralyſin et non absque metu apoplexiae ſummas anxietates creabat. Regimen calidum, quod alias iisdem incidentibus, ex falſa paſſionis hyſtericae perſuaſione, obſeruare ſolebat aegra, ſedulo diſſuaſi, glutinoſum alimentum dextrum ventriculi orificium clauſiſſe ſuſpicatus. Exhibui ergo largam pilularum balſamicarum ſolutionem thermarumque hauſtum, vnde flatus erumpebant, terque aluus aperta fiebat, cum omnium ſymptomatum remiſſione. Haurire deinde iuſſi thermas in conclaui non calefacto, quieto tamen et immobili corpore, quo facto tranſpiratio lenis et aequalis ſemper ſequebatur. Decimo tertio die quum ex intemperantia et refrigeratione veſpertina repletionis et anxietatis ſenſus adſiduus et excretionum defectus adeſſet, dedi pilularum balſamicarum ſcrupulum vnum, cum extracti panchymagogi Crollii granis decem. Aluus tamen non mouebatur, dolorque ſtomachi adaugebatur. Interim continuatus thermarum potus ex voto cedebat, et purgatio, quae ſub finem radicis ialappae ſemi drachma in ſyrupo corticum aurantiorum, et aqua cinnamomi inſtituebatur, inſignem pituitae copiam euacuabat, eo emolumento, vt aegra ſana et valens, thermis valediceret. Duae erant potiſſimum cauſſae, quae in optima aegra grauiorem reddebant morbum, regimen nempe nimis calidum, et in iis, quae difficulter ſolui et concoqui poſſunt, intemperantia. Prius tamen aluinam excretionem ſemper retardabat, vel prorſus cohibebat, ſummeque anxiam reddebat aegram, inde turbae in corpore noxiae, ſanguinisque motus inordinatus et impeditus. Poſterius ſaepius incidens malorum originem praebere, vitiumque in canali alimentoſo primarium haerere, patebat ex eo, quod purgans medicamentum largius ſemper omnia ſymptomata feliciter tolleret, in veris hyſtericis nullius vnquam vſus, nec ſalutaris effectus.